Z.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
B
9
NAPOLI

S. 65. 4.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEMATA
JURISPRUDENTIÆ NATURALIS
AD DUCTUM
LIB. PUFENDORFIANI
DE
OFFICIO HOMINIS & CIVIS
OLIM
AD DISPUTANDUM PROPOSITA
NUNC
RECUSA AUCTAQUE NONNULLIS IN LOCIS VEL EMENDATA,
AUCTORE
JOH. EBERHARDO RÖSLERO,
PHIL. PRACT. PROF. PUBL. ORDINARIO,
DUCALIS STIPENDII EPHORO.

TUBINGÆ
Edebant COTTÆ FRATRES.
MDCCXXVI.

Google

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO

atque EXCELLENTISSIMO

DOMINO

HENRICO SCHEINEMANNO,

SERENISSIMO WIRT. DUCI

a

CONSILIIS SACRIS

atque

EXPEDITIONIBUS ECCLESIASTICIS

nec non

REDITUUM SACRORUM PRÆFECTO

LONGE GRAVISSIMO,

VIRO

Meritis undequaque Fulgentiſſimo,

Patrono Suo Maxumo

LIBELLUM HUNC

ea, qua par eſt,

animi ſubmiſſione & venerabunda

mente

inſcribunt conſecrantq;

FRATRES COTTÆ.

VIR
EXCELLENTISSIME,
PATRONE SUMME!

DAbis veniam, *VIR EXCELLENTISSIME*, quod fœtum hunc Literarium per hos dies è prelis noſtris egreſſum, ad TE potiſſimum deferre, Tuo ſubmittere patrocinio, Nobiliſſimoque Nomini Tuo conſecrare audemus. Ea fuit à tempore benè longo Tua erga nos benevolentia, ea,

Digitized by Google

qua nos hactenus complexus fuiſti, humanitas, is beneficiorum, quæ in nos liberaliſſima manu derivaſti, cumulus, ut jam dudum optaverimus, publico quodam teſtimonio venerationem illam ſummam, cultumque, quo TE proſequimur, teſtatum facere. At cum alia animi Tibi devinctiſſimi devotiſſimique publice ſignificandi ſe jam nobis haud offerat occaſio, & in Te certet cum humanitate æquitas, ut animum dantis potius, quam muneris exiguitatem Tibi ducas reſpiciendam eſſe, ſperamus immo prorſus confidimus, benigne a *TE* acceptum iri levidenſe hoc, quod *TIBI* ſubmiſſe offerimus, donum. Neque vero

&

& indignus eſt *TUO* conſpectu, *VIR EXCELLENTISSIME*, præſens hic, quem Nomini Tuo inſcribimus, Libellus. Compendium eſt hoc Jurisprudentiæ Naturalis a celeberrimo ejus Auctore juxta methodum Illuſtris, nunc Beati Pufendorfii ita concinnatum, ut non ſaltim doctrinam de Officiis, ut titulus pollicetur, complectatur, ſed & totum diſciplinæ tam utilis tamque neceſſariæ ambitum paucis dicendo, magna ſoliditate nec minori perſpicuitate ferme exhauriat. Sed de his quidem apud *TE, VIR EXCELLENTISSIME*, plura diſſerere velle, non ſine ratione pro ſupervacaneo atque inutili habe-

haberi poſſet, qui non tantum rerum ſummarum gerendarum peritia incomparabili atque experientia magna, ſed Eruditione quoque & Naturalis & Civilis & Publici Juris, eaque non communi, ſed longe præſtantisſima flores, adeoque Ipſemet de Libro hoc calculum illum Tuum interpones.

Accipe itaque, *PATRONE SUMME*, ea, qua ſolitus es benevolentia, hoc ſubmisſionis, hoc gratitudinis, hoc pietatis noſtræ monumentum, eoque, quo cœpiſti, favore nos porro proſequi haud dedignare. Id quod ubi ea, qua decet, animi ſubmiſſione abs *TE* expetimus, Deum O. M. ſupplices veneramur

mur atque exoramus, ut ſub novi hujus anni auſpiciis omnem benedictionum ſuarum copiam largiſſimè in *TE* effundat, omnisque, quæ & ſolida eſt, felicitatis rivos in animum Tuum mentemque & corpus benigne derivet, ac denique cuncta, quæ in egregium publicum confers, conſilia, proſperrimis ſemper ſucceſſibus ornet, ut in ſalutem Patriæ, Eccleſiæ Reique Literariæ plurimum evaleſcant. Ita faxit Numen Summum, ita vovent, ita orant

EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TUI

Tubingæ ipſis Kal. Jan.
MDCCXXVI.

Cultores obſervantiſſimi

JOHANNES GEORGIVS & CHRISTIAN. GODOFR. COTTA.

L. B. S. D. A.

COmplures jam præterlapſi ſunt anni, ex quo in uſum Auditorum, qui Collegium diſputatorium a nobis petierant, Themata quædam ſummam Jurisprudentiæ Naturalis complexa, ad ductum & ſecundum ordinem Pufendorfiani de Officio Hominis & Civis Compendii, conſcripſimus, & ad calamum dictavimus, in quibus maximam partem Illuſtris illius Auctoris ſententias, quotiescunque

que ſcilicet ad principia rite poſita collatæ veritati conformes nobis viſæ ſunt, ſecuti ſumus; interdum tamen ab ejus ſcitis recedere non dubitavimus: idque pro ea philoſophandi libertate, quam nemo prudens ægre tulerit, aut vitio cuiquam verterit, quamque in Republica literaria, quamdiu in perniciosam licentiam non degenerat, ſartam tectamque conſervari veritatis plurimum intereſt. Poſtea vero cum publica ſtudiorum ſuorum ſpecimina edere deſiderarent quidam laureæ ſecundæ philoſophicæ Candidati, neque per alias occupationes vacaret, more ceteroquin ſolito ſelecta ex noſtræ diſciplinæ penu deprompta

pta argumenta elaborare: viſum eſt ea ipſa Themata typis imprimenda curare & pro materia publicarum diſputationum, quibus ſuos in ſtudio Juris Naturæ profectus illi ex cathedra domonſtrare poſſent, proponere. Quoniam autem ita comparata ſunt, ut præcipua Jurisprudentiæ Naturalis capita contineant, & ſuccinctam diſciplinæ tam utilis tamque neceſſariæ deſignationem paucis pagellis exhibeant, memoriæ diſcentium non ſine fructu inſervientem, aliquoties jam in Collegiis privatis ea explicare inſtituimus, ipſaque re experti ſumus, haud infeliciter primis hiſce elementis præparari tironum animos ad ube-

uberiorem inſtitutionem. Cui inſtituto quanquam & Clariſſimi Omeiſii Epitome Jurisprudentiæ Naturalis ex parte inſerviat, qua de cauſa & nos ſæpius pro fundamento Collegiorum in uſum incipientium privatim inſtitutorum eam ſubſtravimus: doctrinam tamen de Civitate Architectonicam & Juri Naturæ & Politicæ neceſſariam ſteriliorem ibi inveniri, quam ut tironibus ſufficere poſſit, haud immerito dixeris. Sed nec illis, qui jam aliquos fecerant in diſciplina Juris Naturæ progreſſus, inutilem horum Thematum tractationem deprehendimus, ſi quidem ea, quæ prolixiori commentatione vel audiverant vel legerant

rant, breviter ac facili opera ſe repetere illorum perlectione, atque animo firmius imprimere poſſe, nobis aſſeruerunt. Ubi ergo exemplaria Diſſertationum, quibus dicta jam Themata continebantur, penitus defecerunt: e re Auditorum noſtrorum fore exiſtimavimus, ſi ea recudi curaremus, aucta nonnullis in locis, vel emendata. Si quid emolumenti & poſthac percepturi ex hoc inſtituto ſunt vel illi, vel alii; non eſt cur ejus nos pœnitere debeat. Ad hunc enim ſcopum omnia noſtra conſilia omnesque labores noſtri unice tendunt. Ceterum monendum ab initio eſt, omni etiam diligentia adhibita non potuiſſe omnia typogra-

graphiæ menda evitari. Notari hic debet præcipue error, qui, non obſtante correctoris emendatione, commiſſus eſt in L. I. C.I. Th. XLVII. ubi Actioni invitæ tribuitur definitio Actionis mixtæ. Ita vero p. 16. legi debet Th.

XLVII.

Actio invita eſt, quæ ab ignorante, vel nolente, proficiſcitur: eſtque vel per ignorantiam vel per vim talis; illa imprudens, hæc violenta dicitur.

In Th. autem ſequenti quod debebat eſſe XLIIX. pro verbis: Actio invita, ſubſtituendum eſt aliud definitum, nempe: Actio mixta.

PROLE-

PROLEGOMENA.

De
NATURA & INDOLE JURISPRUDENTIÆ NATURALIS.

Th. I.

DOctrina de Officio Hominis & Civis juxta legem naturalem, in compendio Pufendorfiano tradita, dici ſolet Jurisprudentia Naturalis, ſive Vniverſalis: quæ non abſolvit univerſam Philoſophiam Practicam, ſed ejus pars eſt.

II.

Jurisprudentia Naturalis eſt prudentia hominem actiones ſuas ad legem naturæ componere docens.

III.

Dari talem diſciplinam probatur ex objecto; itemque ex ejus utilitate.

IV.

Objectum ejus ſunt actiones hominum ad legem naturalem componendæ.

V.

Utilis eſt hæc diſciplina in vita communi: dum homines in quovis ſtatu viventes officii ſui vitæque recte inſtituendæ ſcientia inſtruit, & difficillimorum caſuum, qui in omni vitæ genere ſolent occurrere, explicandorum fundamenta monſtrat.

VI.

Habet quoque ſuam utilitatem in ſtudio Theologiæ: dum revelationis divinæ veritatem confirmat; voces explicat in Theologia Morali quoque occurrentes; homines pravis ſuis cupiditatibus indulgentes miſeriæ ſuæ convincit; vitia reprehenſuris argumenta ab ipſo naturali lumine depromta ſuppeditat; legum denique in ſacris literis enarratarum diſcrimen oſtendit.

VII.

Jurisprudentiæ Civili inſervit: dum interpretationis legum fundamenta ponit,

nit, æquitatis & diſpenſationis fontes aperit, nomotheticam dirigit.

VIII.

Principia ipſa univerſalia Juris Publici & Eccleſiaſtici non aliunde, quam ex hac diſciplina, repetenda ſunt.

IX.

Jus Gentium nobis quidem nihil aliud eſt, quam ipſum jus naturæ ad actiones gentium inter ſe accommodatum.

X.

Jurisprudentia Naturalis, Jurisprudentia Civilis & Theologia Moralis differunt fontibus officiorum, officiis, & modo demonſtrandi dogmata.

XI.

Illa ex lumine rationis, iſta ex legibus civilibus, hæc ex peculiari revelatione divina, quid agendum, quidve omittendum ſit, deducit.

XII.

Illa officia hominis communiſſima in naturali & adventitiis ſtatibus obeunda, iſta officia hominis, quatenus peculiari & definitæ civitati ſubjectus eſt, hæc officia Chriſtiani tractat.

XIII.

Illa aliquid faciendum aſſerit, quia per rectam rationem idem ad cultum DEI, conſervationem ſui, ſocialitatem neceſſarium colligit: iſta ultimam rationem inde petit, quia Legislator ita conſtituit: hæc in eo acquieſcit, quia DEUS in Scriptura ſacra ita juſſit.

XIV.

Hæ tamen diſciplinæ invicem non pugnant: quanquam Jus Civile & Theologia Moralis Juri Naturali quædam addunt, & in diſciplina Juris Naturæ quædam per fictionem quandam, abſtrahendo a revelatione, concipiuntur, quæ in ſacris literis liquidius expoſita deprehendimus.

XV.

Finis Jurisprudentiæ Naturalis duplex eſt: primarius alter, qui ad veram internam æternamque hominis felicitatem tendit; alter ſecundarius, in externa generis humani felicitate conſiſtens.

XVI.

Etſi autem prior ille finis in Philoſophia morali intendatur: obtineri tamen per eam nequit, ſed ad Theologiam ducit,

cit; unde uſus illius pædagogicus elucet.

XVII.

Illorum igitur ſententiæ non poſſumus ſubſcribere, qui finem hujus diſciplinæ etiam intentum ſolius hujus vitæ ambitu includunt.

XVIII.

Licet enim animæ immortalitas mathematice demonſtrari nequeat: tam validis ramen ea nititur argumentis, ut contraria ſententia rationi merito videri debeat abſurda. Adde, quod poſita ſola ejus probabilitate certiſſimæ demonſtrationes de agendis elici poſſint.

XIX.

Qui hujus tantum vitæ felicitatem in philoſophia morali intendi, immortalitatisque animæ conſiderationem ſeponi volunt, januam aperiunt Epicureiſmo, fundamenta moralitatis ſubruunt, uſum pædagogicum tollunt, ipſique fini ſecundario obtinendo obicem ponunt.

XX.

Scita Jurisprudentiæ naturalis non duntaxat ad forum humanum, ſed primariò ad forum conſcientiæ, in quo DEUS auctor legis naturæ tribunal ſuum

 habet,

habet, accommodanda arbitramur.

XXI.

Neque hæc diſciplina circa exteriores tantum actiones hominis formandas, ſed primario circa actus interiores verſatur, quippe a quorum moralitate moralitas actionum externarum dependet.

XXII.

Primos tamen motus quoque una cum ſua radice homini ad culpam & pœnam imputari, ſola nos Theologia docet.

XXIII.

Recte aſſerit Pufendorfius, in Jurisprudentia naturali hominem nunc conſiderari debere, prout natura ipſius eſt corrupta, adeoque prout animal multis pravis cupidinibus ſcatens, neque ex ſtatu integritatis derivandas eſſe leges naturæ. Addendum tamen, habere hominem etiam corruptum rationem ſuo modo adhuc rectam.

XXIV.

Prior ratio, qua ſuam aſſertionem probat, quod nimirum de conditione ſtatus integri lapſuque primævo ratio ſibi relicta nihil ſciat, ſatis bene ſeſe habet: modo obſervetur, ex lumine rationis quoque

que colligi poſſe, hominem talem a DEO non eſſe creatum, qualis nunc eſt.

XXV.

Altera vero ratio a præceptis negativis deſumta non æque firma eſt: cum præceptum negativum non neceſſario præſupponat poſitivam ad peccatum proclivitatem, ſed qualemcunque peccandi potentiam, vel nonrepugnantiam.

XXVI.

Ad quæſtionem: An lex naturæ hodie eadem ſit, quæ fuerit in ſtatu integritatis? rectè reſpondetur; ſumma legis capita in utroque ſtatu eſſe eadem, ſed applicationem per præcepta particularia, pro diverſitate conditionis humanæ, variare.

XXVII.

Prius ex eo probatur, quod in utroque ſtatu tota lex naturæ ad amorem Dei, ſui & aliorum hominum reduci poteſt.

XXVIII.

Poſterius inde patet, quia multa in præſenti ſtatu locum habent, de quibus non conſtat, num & in feliciſſima illa conditione locum fuiſſent habitura; nonnulla verò certò in eam non cadunt.

LIB. I.

CAP. I.

De ACTIONE HUMANA.

I.

OFFicium eſt actio humana pro ratione obligationis ad præſcriptum legum recte attemperata.

II.

Actio humana eſt motus hominis, prælucente intellectu, & decernente voluntate, ſuſceptus.

III.

Non ergo omnis actio hominis etiam eſt humana.

IV.

Quicquid de actionibus dicitur id ſuo modo etiam ad omiſſiones applicari debet.

V.

Principia actionum humanarum ſunt intellectus & voluntas.

VI.

Intellectus eſt facultas animæ rationalis, qua res ſibi objectas comprehendit ac dijudicat.

VII.

Datur in homine recta ratio non modo circa theoretica, ſed & circa practica, h. e. cuilibet homini, matura ætate, & mente integra, tantum ſupereſt luminis naturalis, ut, adhibita cultura, ac debita meditatione, poſſit recte comprehendere ſaltem generalia præcepta & principia honeſte vivendi.

VIII.

Intellectus practici actus ſunt conſcientia & conſultatio: illa circa honeſtatem, hæc circa utilitatem verſatur.

IX.

Conſcientiæ vocabulum interdum pro facultate, imo pro ipſa anima cum ſuis facultatibus, interdum pro habitu, interdum pro actu ſumitur.

X.

Pro habitu judicandi de actionum

ſuarum moralitate ſumpta dividitur in teneram, laxam, & ſcrupuloſam. Illa de actionibus recte, iſta parum, hæc nimium ſollicita eſt.

XI.

Pro actu ſumpta generatim eſt judicium hominis de ſe ipſo ſuisque actionibus ſecundum leges inſtitutum.

XII.

Reſpectu objecti conſcientia, hoc modo ſumpta, dividitur in Antecedentem & Conſequentem, & Conſequens in Bonam & Malam.

XIII.

Antecedens eſt judicium de actionibus ſuſcipiendis, Conſequens de perpetratis.

XIV.

Conſcientia Bona eſt, quæ ob recte facta delectat, Mala quæ ob male facta contriſtat.

XV.

Reſpectu normæ eſt vel Recta, vel Erronea. Illa eſt, quæ legi conformiter, hæc, quæ legi difformiter judicat.

XVI.

Ratione principiorum & modi aſſentiendi

Digitized by Google

tiendi diſtinguitur in Certam & Probabilem. Certa eſt, quæ ex principiis certis & evidentibus concluſionem elicit, cui firmiter adhæret: Probabilis, quæ ex principiis veriſimilibus concluſionem elicit non ab omni formidine oppoſiti alienam.

XVII.

Quando in Decidentem & Suſpenſam ſ. Dubiam diſpeſcitur, magis eſt diſtinctio æquivoci in æquivocata, quam diviſio generis in ſpecies.

XVIII.

Decidens eſt, quæ de actus moralitate aliquid affirmat vel negat: Dubia, quæ inter utramque contradictionis partem fluctuans neutri adhæret.

XIX.

Media inter utramque, magis tamen ad decidentem vergens, eſt Scrupuloſa (alio ſenſu quam ſupra accepta) quippe quæ actu uni parti aſſentitur, ſed in alteram partem levibus argumentis cum vexatione quadam ſollicitatur.

XX.

Conſcientia vim obligandi habet, non ex ſe, ſed ex lege, quam dictitat, cujus præco eſt.

XXI.

XXI.

Conſcientia recta, quæ ſimul certa eſt, graviſſime obligat, cum ad ſuſcipiendam actionem illius dictamini convenientem, tum ad omittendum contrarium.

XX.

Conſcientia erronea negative obligare dicitur, h. e. non quidem ad faciendum, quod ea dictitat, ſed tamen ad omittendum contrarium.

XXIII.

Si error eſt invincibilis & involuntarius, atque adeo inculpabilis: peccat, qui contra eam, non peccat, qui ſecundum eam agit.

XXIV.

Si error vincibilis verſatur circa actionem lege præceptam aut vetitam: tam peccat, qui ſecundum, quam qui contra conſcientiam agit.

XXV.

Si error eſt de re indifferenti: peccat, qui contra, non item qui ſecundum eam agit,

XXVI.

Probabiliſmum Jeſuiticum deteſta- mur

mur quidem, aſſerimus tamen, poſſe hominem etiam conſcientiam probabilem ſequi.

XXVII.

Inter plures probabiles ſententias ſemper ſequenda eſt probabilior & tutior.

XXVIII.

Dubia conſcientia nihil eſt agendum, ſed dubio liberandus animus.

XXIX.

Cum ſcrupulus notet dubium leve & irrationale; eum violenter ejiciendum, aut, ſi deponi nequeat, contra eum agendum, recte præcipiunt Theologi & Philoſophi.

XXX.

Intellectus impedimenta ſunt error & ignorantia.

XXXI.

Error eſt vel vincibilis vel invincibilis, itemque vel juris vel facti, & ille vel juris univerſalis vel particularis.

XXXII.

Error invincicilis juris univerſalis in homine ſanæ mentis non datur, juris parti-

particularis dari poteſt, ſed regulariter non præſumitur.

XXXIII.

Ignorantia ratione influxus in actionem eſt vel efficax, vel concomitans : ratione originis vel voluntaria, vel involuntaria: illa vel ſimplex vel affectata, hæc vel in ſe tantum, vel in ſe & ſua cauſa ſimul.

XXXIV.

Voluntas eſt altera hominis facultas, per quam velut intrinſeco impulſu ad agendum ſe ſe homo movet, & eligit, quod ſibi maxime arridet, averſatur, quod ſibi non convenire videtur: vel; eſt facultas animæ rationalis, qua bonum ab intellectu cognitum appetit, malum averſatur.

XXXV.

Affectiones voluntati duæ tribui ſolent, ſpontaneitas & libertas: quas alii uno libertatis vocabnlo exprimunt, eamque tribus his partibus abſolvi contendunt, ſpontaneitate, indifferentia & vi ſe determinandi.

XXXVI.

Libertas voluntatis probatur. 1. ex propria cujusque conſcientia & experien-

entia. 2. legibus. 3. pœnis. 4. conſultationibus. 5. pœnitentia.

XXXVII.

Libertas hominis non conſiſtit in indifferentia ad bonum & malum in genere; nam bonum in genere & qua tale neceſſario appetit, malum neceſſario averſatur: ſed ad objecta particularia, circa quæ magna eſt appetituum varietas, eaque vel ex diverſa repræſentatione objectorum, vel ex hominum diverſis propenſionibus diverſisque judiciis oriunda.

XXXVIII.

Neque illa indifferentia eſt æquilibrii, ſed exercitii tantum, ſive activitatis.

XXXIX.

Æquilibrium enim tollunt corruptio univerſalis, peculiaris ingenii diſpoſitio ex temperamento pendens, conſuetudo, affectus & certi morbi, ad quos inprimis etiam pertinet modica ebrietas.

XL.

Quantacunque ſit vis temperamenti, hominem non rapit neceſſario in violationem legis naturalis, ſaltem quoad actus exteriores.

XLI.

XLI.

Neque conſuetudo actiones facit abſolute neceſſarias: hypothetica autem neceſſitas imputabilitatem non tollit.

XLII.

Homo debito rationis uſu affectus ita compeſcere poteſt, ne in actus exteriores legibus adverſos pœniſque civilibus coercendos erumpant.

XLIII.

Affectus ſpecie mali excitatos merito plus favoris comitatur, quam eos, qui ad acquirendum aliquod gratum ſtimulant.

XLIV.

Modica ebrietas ſicuti uſum rationis non penitus ſequeſtrat, ita nec libertatem plane tollit.

XLV.

Actio hominis in reſpectu ad ſua principia dividi ſolet in ſpontaneam ſeu voluntariam, invitam & mixtam.

XLVI.

Actio voluntaria ſeu ſpontanea eſt, quam quis ſciens ac volens ſuſcipit.

XLVII.

Actio invita eſt, quam quis incumben-

bente graviore neceſſitate tanquam minus malum ſuſcipit, licet alias extra neceſſitatem conſtitutus vehementer ab eâ abhorreat. Accedit tamen magis ad ſpontaneas, quam ad invitas.

XLIX.

Affectio actionum humanarum præcipua eſt imputabilitas, ſeu imputativitas, per quam homo pro earum auctore recte poteſt haberi, ad reddendam de iis rationem adſtringi, effectusque ex iſtis provenientes in ipſum derivari.

L.

Regula generalis de imputativitate hæc eſt: *Quæcunque penes hominem ſunt, ut fiant vel non fiant, ea ipſi poſſunt imputari. Quod autem neque in ſe, neque in ſua cauſa, penes aliquem fuit, non poteſt ipſi ex debito imputari, recte tamen ex gratia.*

LI.

Hinc fluunt regulæ ſpeciales:

1. Actiones ab alio patratæ, ut & operationes quarumvis aliarum rerum, nec non quivis eventus non poſſunt alteri imputari, niſi quatenus ille poteſt

& tenetur iſta moderari, atque adeo culpam contrahit.

2. Quæcunque in quolibet homine ſunt, vel non ſunt, quæ penes ipſum non fuit ut abeſſent vel adeſſent, non poſſunt ipſi imputari, niſi quatenus per induſtriam defectum, cum potuiſſet, non ſupplevit, aut nativas vires non adjuvit.

3. Quæ per ignorantiam aut errorem invincibilem patrantur imputari non poſſunt.

4. Ignorantia, ut & error, circa leges & officium cuique injunctum ab imputatione non liberat.

5. Cui occaſio agendi citra ſuam culpam deeſt, illi non imputatur, quod non egerit.

6. Non poteſt alicui imputari, quod non præſtiterit ea, quæ vires ipſius excedunt, niſi quis ſua culpa vires amiſerit.

7. Non poteſt imputari quod quis per violentiam coactus patitur, poſſunt tamen imputari actiones mixtæ.

8. Eorum, qui rationis uſu deſtituuntur, actiones non imputantur.

9. De-

9. Denique non imputari poſſunt ſomnia, nec actiones in ſomno patratæ, niſi quatenus quis vel diurnis cogitationibus illis occaſionem dedit, vel debitas poſſibileſque cautelas non adhibuit

CAP. II.
De
NORMA ACTIONUM HUMANARUM,
ſeu
DE LEGE IN GENERE.

Th. I.

ACtiones hominum ad normam aliquam componendas eſſe probatur, 1. ex facultatum præſtantia, 2. inclinationum varietate, 3. hominum pra- itate, 4. imbecillitate, & hinc orta in- igentia ſocietatis, quæ ſine ordine & ge ſtare nequit.

II.

Ea igitur norma eſt Lex, quæ eſt de-

cretum, quo ſuperior ſibi ſubjectum obligat, ut ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componat.

III.

Effectus legis eſt obligatio: nam lex permiſſiva proprie non eſt lex.

IV.

Obligatio eſt vinculum juris, quo neceſſitate adſtringimur rei alicujus præſtandæ; ſive: eſt qualitas moralis paſſiva, qua quis præſtare aut pati quid tenetur.

V.

Differt obligatio a coactione, quia hæc extrinſecus movet voluntatem, illa intrinſece conſcientiam afficit.

VI.

Ad id, ut quis poſſit recipere obligationem, tria requiruntur, ut habeat 1. ſuperiorem. 2. intellectum. 3. voluntatem liberam.

VII.

Superior hic intelligitur, qui in alterum habet imperium: ad quod non modo vires, ſed inprimis juſtæ cauſæ requiruntur. Juſtæ Imperii Divini cauſæ ſunt Creatio & Conſervatio, humani autem vel

vel voluntas Dei per legem naturæ, aut poſitivam univerſalem, aut ſpeciale præceptum patefacta, vel ipſorum hominum inter ſe conſenſus, cujus firmitas itidem a lege naturæ pendet.

VIII.

Lex non obligat niſi promulgata; ſive promulgationem ultimum eſſentiale legis complementum, ſive conditionem ſine qua non appelles.

IX.

Legis perfectæ duæ ſunt partes: edictum, & ſanctio pœnalis. Neque vero lex alternative obligat.

X.

Vis obligandi principaliter & originaliter eſt in legislatore, inſtrumentaliter ſeu notionaliter in lege, miniſterialiter in conſcientia.

XI.

Materia legis debet eſſe poſſibilis & utilis. Poſterioris tamen requiſiti defectus non tollit obligationem.

XII.

Nec juſtitia, quatenus ſe habet ex parte Imperantis, eſt de eſſentia legis.

XIII.

Diſpenſatio eſt exemtio peculiaris perſonæ ab obligatione legis ad ipſam alias pertinentis.

XIV.

Cum diſpenſatione perperam confunditur æquitas, quæ pro diverſa definitione vel cadit in legem naturæ, vel non cadit.

XV.

A relatione ad legem actiones ſunt vel licitæ vel neceſſariæ, vel bonæ vel malæ.

XVI.

Non omnia, quæ licita dicuntur, etiam honeſta ſunt.

XVII.

Ad actionem bonam requiritur, ut ex omni parte cum lege congruat: ad malam ſufficit, ſi in una parte deficiat.

XVIII.

Si præter relationem ad legem etiam reſpectus involvitur ad perſonas, in quas exercentur actiones: hæ ſunt vel juſtæ vel injuſtæ.

XIX.

Sumitur tamen interdum juſtitia etiam

pro

pro attributo perſonarum, & tum eſt conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi.

XX.

Aſt quando actionibus tribuitur, definitur recta adplicatio earundem ad perſonas.

XXI.

Juſtitia recte a Grotio in attributricem & expletricem diſtinguitur, expletrix denuo commode dividitur in rectoriam & æquatoriam. Hujus, quatenus circa contractus verſatur, nobiliſſimæ ſpecies ſunt diſtributiva & commutativa.

XXII.

Injuſtitia, quæ juſtitiæ expletrici opponitur, injuria adpellatur, ad quam requiritur, ut jus perfectum lædatur, ut actio ex proæreſi ſit ſuſcepta, ut invito inferatur.

XXIII.

Si propoſitum abſit, nec agens per negligentiam peccaverit, infortunium ſ. caſus fortuitus, aſt ſi negligentia acceſſerit, culpa adpellatur, quæ pro diverſitate graduum negligentiæ in latam, levem & leviſſimam diſpeſcitur.

XXIV.

Lex reſpectu auctoris dividitur in divinam & humanam: illa in naturalem & poſitivam; poſitiva in univerſalem & particularem; quæ vel ceremonialis et vel forenſis.

XXV.

Cum hac diviſione commode conciliari poteſt Theologis recepta diviſio legis divinæ in moralem, ceremonialem & forenſem.

CAP. III.

De *LEGE NATURALI.*

Th. I.

LEx naturæ eſt lex divina, per rationem hominibus innoteſcens, immutabiliter obligans eos id faciendum vel omittendum, quod cum natura divina & humana neceſſario convenit vel pugnat.

II.

Hæc ex ipſa natura humana cum relaione ad Deum finemque ab eo intenum ſpectata cognoſci poteſt. Unde x exiſtentia legis naturæ luculenter paet.

III.

Methodus autem & inveſtigandi & emonſtrandi varia eſt: quæ varietas amen ipſius diſciplinæ certitudinem on tollit.

IV.

Neque vero neceſſum eſt, ut omnes x iisdem principiis deducant concluſioes: modo alioquin vera ſint, & illis, ui utuntur, aut quibus cum agitur, ſas evidentia.

V.

Multa etiam ita comparata ſunt, ut uamvis diverſa videantur, conciliari taen haud difficulter queant.

VI.

Sunt autem & alia poſita a quibusam, uti falſa, ita periculoſa ſimul & ntolerabilia.

VII.

Puſendorfius pro principio legis na-

turæ habet ſocialitatem, & hanc fundamentalem legem naturalem conſtituit: *Cuilibet homini, quantum in ſe, colendam & ſervandam eſſe ſocialitatem:* ſeu, *hominem debere eſſe ſocialem.*

VIII.

Hanc vero ex hominis natura ita demonſtrare conatur, ut ex eo, quod homo 1. ſe ipſum amat & conſervare ſtudet, 2. citra aliorum auxilium vel conſervari nequit, vel ſaltem miſerrimus eſt, 3. ad mutua commoda promovenda aptus, 4. ad nocendum proclivis non modo, ſed & 5. idoneus, 6. in inclinationibus varius & mutabilis, colligat ſocietatis colendæ neceſſitatem.

IX.

Nos ſocialitatem pro adæquato principio hactenus habemus, quatenus ipſe Pufendorfius haberi voluit *L.II. c.3. §.19.* ut nempe non ſit ullum præceptum juris naturalis *alios homines* ſpectans, cujus ratio non ultimo inde petatur.

X.

Si vero pro adæquato totius juris naturæ principio habeatur, id potiſſimum incommodi habet, quod religio hoc

modo

nodo ſubordinetur ſocialitati,vel ſaltem ꝛræcipua officia inde non niſi indirecte ꝛoſſint probari. Adde, quod, abſtraendo ab omni ad colendam ſocialitaem obligatione, ratio homini & cultum Dei & conſervationem ſui injungat.

XI.

Unde illorum ſententia nobis quidem naxime probatur, qui ex *cultu DEI, onſervatione ſui & ſocialitate* omnia juis naturæ officia derivant. Idemque ſentiunt, qui in amore Dei, ſui & proimi, vel in amore ſupra nos, in nos, & juxta nos adæquatum juris naturæ ꝛrincipium conſtituunt.

XII.

Neque enim neceſſarium requiſitum ſt, ut principium omnium officiorum inicum ſit. Nam & ipſe Servator ſumnam legis non ad unum, ſed ad duo præcepta generaliſſima redegit: quoum alterum ſecundum & tertium ex noſtris, implicite quidem, ſed tamen ſatis manifeſte, comprehendit.

XIII.

Illa ipſa autem principia homo ex inſpectione naturæ ſuæ facili negotio colligit.

XIV.

XIV.

Deprehendit nempe homo in originem ſuam reflectens, ſe totum dependere ab altiori principio, quod Deum appellamus; ſe nihil habere a ſe ipſo, neque ſe ipſum conſervare poſſe; intellectum & voluntatem a Deo accepiſſe non ſane fruſtra, ſed ut Creatorem ſuum agnitum omni veneratione colat.

XV.

Sed & in ſe ipſo deprehendit efficaciſſimum ſui conſervandi ſtudium, & media quoque ſuæ conſervationis ſibi ſuppeditata videt. Unde, cum neque hæc fruſtranea, neque tam artificioſum opus a Deo creatum eſſe, ut ſtatim interiret, ſapientiæ divinæ conveniat, concludit, DEUM velle, ut ſe ipſe conſervet, & conſervationis mediis recte utatur.

XVI.

Cum vero eandem in aliis quoque hominibus naturam eſſe videat, eundem inſtinctum, eadem conſervandi media illis quoque data deprehendat, illos etiam a DEO conſervari velle rectiſſime judicat, atque hinc infert, ſe non

modo

modo non impedire, ſed & promove-
e debere aliorum conſervationem;
quod ſibi non vult fieri aliis quoque non
faciendum, & quod ſibi vult fieri, aliis
etiam faciendum, hoc eſt, ſocialiter vi-
vendum.

XVII.

Nec minus recte ſocialiter vivendum
eſſe demonſtratur a Pufendorſio ex ſo-
cialitatis ad ſingulorum non modo, ſed
& univerſi generis humani, conſervatio-
nem neceſſitate.

XVIII.

Quin etiam ex dotibus & facultatibus
hominis ad ſocietatem ſpectantibus, &
extra hanc uſum vix ullum habentibus,
nec non ex naturali ejus appetitu liquido
colligitur, quod DEUS velit hominem
eſſe ſocialem.

XIX.

Patet hinc præcepta legum natura-
lium non ideo tantum eſſe obſervanda,
quia manifeſtam habent utilitatem, ſed
quia a DEO pro imperio ſunt injuncta.

XX.

Imperium enim Deo in homines vi
creationis & conſervationis competere

ſupra

ſupra aſſertum eſt : voluntas autem imperantis de actionibus ſubditorum hoc & non alio modo inſtituendis quocunque modo ſignificata indolem & vim legis habet.

XXI.

Quando lex naturæ natura nota & cordibus hominum inſcripta dicitur, id non ita intelligendum, quaſi in animis hominum naſcentium inhæreant actuales & diſtinctæ propoſitiones circa agenda & fugienda.

XXII.

Neque tamen ſufficit dicere : ideo hanc legem cordibus inſcriptam dici, quia, cum recordari non poſſimus, quando primum naturalia præcepta hauſerimus, non aliter de ea cognitione cogitemus, ac ſi illa nobis naſcentibus jam adfuiſſet, id quod cuilibet etiam circa linguam ipſi vernaculam contingat.

XXIII.

Sed rectius dicitur : denotari illa phraſi notitiam habitualem aut habitui analogam, quam alii potentiam proximam appellant, quæ conjuncta eſt cum naturali quadam propenſione, qua intellectus ad aſſentiendum fertur.

XXIV

XXIV.

Habet lex naturæ ultimam ſuam originem non in libera voluntate, ſed ſanctiſſima perfectiſſimaque natura divina, & pro objecto habet actus neceſſario præcipiendos ac vetandos: quamobrem & immutabilis eſt & indiſpenſabilis. Quibus ſi promulgandi modum addas, differentiam ejus a legibus divinis poſitivis haud obſcure intelliges.

XXV.

Diviſio officiorum tripartita in ea, quæ erga DEUM, ſe ipſum & alios præſtare debet homo, adæquata eſt.

CAP. IV.

De OFFICIO HOMINIS ERGA DEUM, SEU, DE RELIGIONE NATURALI.

Th. I.

PRimum præcipuumque hominis officium eſt officium erga Deum, cujus tractationem, quatenus ex naturæ lumine innoteſcit, merito ſibi vindicat Jurisprudentia Naturalis.

II.

Abſolvitur illud duabus partibus: recta DEI cognitione, rectoque ejus cultu.

III.

Quicquid cognoſci de DEO ex rationis lumine poteſt commode ad quatuor haſce propoſitiones reducitur. 1. Deum exiſtere. 2. DEUM eſſe conditorem hujus univerſi. 3. Illum regimen exercere cum in univerſum mundum, tum præ-

præcipue in genus humanum. 4. Ei nihil imperfecti tribuendum.

IV.

De exiſtentia DEI homo non modo per notitiam inſitam convincitur, ſed illa etiam variis argumentis demonſtrari poteſt.

V.

Revocari ſolent argumenta hæc ad certas claſſes, quarum prima Metaphyſica, altera Phyſica, tertia Hiſtorica, quarta Moralia complectitur: ex quibus omnibus aliquid depromit Pufend.

VI.

Argumentum Metaphyſicum deſumitur a ſubordinatione cauſarum contingentium, in quarum progreſſu deveniendum tandem ad aliquam primam neceſſario exiſtentem, quam Dei nomine indigitamus.

VII.

Argumenta Phyſica deducuntur partim a motu, qui in hoc mundo conſpicuus eſt, & primum motorem indicat; partim a contemplatione machinæ hujus mundi, quæ ſive immenſam ejus magnitudinem, ſive rerum ex quibus

componitur numerum innumerabilem, ſive admirandum ordinem aptiſſimamque diſpoſitionem, ſive omnium ad certos uſus fineſque directionem conſideres, artificis potentiſſimi ac ſapientiſſimi exiſtentiam luculenter demonſtrat.

VIII.

Ex hiſtoria conſtat, perpetuam eſſe hanc generis humani perſuaſionem, quod non exiguum pro veritate argumentum eſt. Accedit quod paucorum millium annorum modo hiſtoriam habeamus, quæ & ipſa regnorum, populorum, artium atque ſcientiarum origines atque incrementa tradit. Unde colligitur mundum hunc habuiſſe initium, hoc eſt, a DEO eſſe creatum.

IX.

Argumentum morale hinc petitur, quod tranquillitas & ſalus generis humani continetur religione: quis autem credat, humanam ſocietatem conſiſtere non poſſe niſi per univerſalem generis humani errorem?

X.

Poſſunt & debent Athei tanquam turbatores ſocietatis humanæ etiam pœnis civilibus coërceri.

XI.

XI.

Quando ex contemplatione machinæ hujus univerſi Deum eſſe probatur, ſimul probatur eum eſſe mundi conditorem, qui neque a ſeipſo eſſe, neque fortuito atomorum concurſu conflari potuit.

XII.

Regimen & providentia DEI probatur ex effectu cum phyſico, conſtanti nempe ordine, tum morali: quandoquidem negata DEI providentia non minus omnis tollitur religio, quam negata ejus exiſtentia.

XIII.

Cum DEUS ſit omnium rerum & perfectionum prima cauſa atque independens: patet nihil ei tribuendum quod imperfectionem involvat. Unde infinitus, immenſus, incomprehenſibilis, omnipotens, omniſcius, optimus, maximus, quin & unus eſt. Et ſi quid de DEO dicitur, quod ipſi cum rebus creatis commune eſſe videtur, id remota omni imperfectione vel improprie eſt intelligendum.

XIV.

Cultus DEI in internum & externum diſpeſcitur, ſenſu non excluſivo ſed cumulativo.

XV.

Cultus DEI internus conſiſtit præcipue in ejus *honore* ac *veneratione* ob majeſtatem & imperium ejus: in *amore* ob bonitatem: in *ſpe* & *acquieſcentia* ob eandem bonitatem cum omniſcientia ſapientia & potentia conjunctam: in *timore* ob potentiam & juſtitiam; in *obſequio*, quod jure creationis & conſervationis regimen exercenti merito debetur.

XVI.

Cultum etiam externum DEO deberi ipſa naturalis ratio dictitat. Sive enim DEUM reſpiciamus, cum ab eo non minus externæ noſtræ facultates quam internæ dependeant; illas quoque in gloriam creatoris impendendas eſſe intelligimus: ſive ad nosmet ipſos attendamus; interior animi ad DEUM elevatio per externum cultum excitatur, fovetur & alitur: ſive alios homines conſideremus; non modo noſtro exemplo illos exci-

excitare ad colendum DEUM debemus, ſed & religionis noſtræ documenta dare, ut pro idoneis humanæ ſocietatis membris, quibuscum tuto agi poſſit, reputemur.

XVII.

Conſiſtit cultus externus potiſſimum in *precibus* & *gratiis agendis, celebratione perfectionum* & *beneficiorum divinorum, jurejurando religioſo, conſiderato de* DEO *rebusque divinis loquendi modo, rerum eximiarum oblatione, & obedientia inprimis erga leges naturales.*

XVIII.

Sacrificia vero & ſeptimi diei ſanctificatio ex lumine naturæ non poſſunt deduci.

XIX.

Ad ſalutem æternam conſequendam religio naturalis minime ſufficit.

XX.

Religio eſt ultimum & firmiſſimum non modo ſocietatis humanæ univerſalis, ſed & particularium ſocietatum vinculum.

CAP. V.

De

OFFICIO HOMINIS ERGA SE IPSUM.

Th. I.

DAri officium hominis erga ſe ipſum inde potiſſimum demonſtratur, quod actiones noſtræ etiam circa noſmet ipſos occupatæ directionis per legem cum capaces tum indigentes ſunt.

II.

Sed & indirecte idem ex cultu Dei & ſocialitate probatur: cum ideo quoque homo circa ſe ipſum non omnia pro lubitu diſponere poſſit, partim ut cultor idoneus divini Numinis, partim ut commodum & utile membrum ſocietatis humanæ eſſe queat.

III.

Ad curam animæ & corporis habendam obligatus eſt homo: ita tamen ut illa huic præferenda ſit.

IV.

Animus excolitur 1. Recte ſentiendo de rebus ad officium pertinentibus. 2. Dextre judicando de rebus appetitum ſtimulantibus 3. Affectus moderando 4. Honeſtis artibus atque ſcientiis operam dando.

V.

Ad recte ſentiendum de rebus ad officium pertinentibus requiritur, ut homo recte cognoſcat Deum & ſe ipſum.

VI.

Notitia Dei practica, h. e. cum cultu conjuncta ad officium hominis erga ſeipſum eatenus pertinet, quatenus eſt fundamentum illius acquieſcentiæ, qua hominum animi intrinſece perfunduntur.

VII.

Repugnant ei Atheiſmus, Epicureiſmus, Stoiciſmus, Aſtrologia judiciaria circa actiones hominum, doctrina de immutabili rerum omnium neceſſitate, doctrina indulgentiarum, cultus DEI arbitrarius ſocietati & ſanæ rationi adverſus, pietatis a probitate ſeparatio, operum ſupererogationis venditatio, pec-

catorum extenuatio, preces pro malis aliorum immeritis &c.

VIII.

Qui ſe ipſum noſſe ſtudet, deprehendit 1. ſe originem habere a Deo ejusque imperio ſubjectum 2. facultatibus nobilioribus, quam bruta inſtructum has ipſas tamen emendatione opus habere 3. non ſibi ſoli ſed ſocietati natum 4. vires ſuas eſſe finitas, nihilque tam in poteſtate ſua eſſe, quam quæ a libero arbitrio proficiſcuntur. Hinc colligit, facultates emendatas viresque a DEO conceſſas, in quantum illarum uſus a libero arbitrio dependet, recte & prudenter impendendas.

IX.

Recte homo utitur intellectu 1. legitimum finem ſibi proponendo 2. actiones & media recte ad illum attemperando 3. conſtantiam in judiciis ſervando.

X.

Recte utitur voluntate, ſi caveat ne 1. rectum judicium præcurrat, nec 2. decretis ejus obluctetur.

XI.

Cum quædam viribus hominis ſint abſolute impoſſibilia, quædam aliunde impediri poſſint, quædam adhibita dexteritate expediantur: viribus recte utitur, ſi eas in impoſſibilibus non fruſtra conſumat, in ceteris, ſi tanti videantur, propoſitum recte formatum urgeat, provide agat, ſed eventum providentiæ divinæ committat, ſecuritatem & anxietatem, inſolentiam & deſperationem fugiat.

XII.

Res appetitum ſtimulantes ſunt exiſtimatio, opes & voluptates.

XIII.

Exiſtimationem ſimplicem famamque boni viri acquirere quivis & tueri, intenſivam atque honorem non niſi recte factis ambire ſtudeat: ſi deſit occaſio, æquo animo ferat, arrogantiam fugiat, de inanibus ne glorietur, multo minus per ſcelera ad honores graſſetur.

XIV.

Opes reſpiciendæ, ut inſtrumenta conſervationis noſtræ & liberalitatis in alios: parandæ poſſidendæ & erogan-

dæ juſte, moderate & honeſte: animusque ita aſſuefaciendus, ne amiſſis opibus concidat.

XV.

Voluptates non abſolute damnandæ, ſed innocentes modice deguſtandæ ſunt: neque enim omnes rationi repugnant; ſed illæ demum, quæ cum delictis conjunctæ periculum, damnum, dedecus, dolorem poſt ſe trahunt.

XVI.

Affectuum exceſſus animi vigorem profligat, judicium intellectus obnubilat, in devia ab officio inclinat.

XVII.

Temperandi itaque affectus ſunt, non tamen eradicandi, niſi quatenus malitiam connotant, ut invidia. Sed metum & iram in horum numerum referendos non arbitramur.

XVIII.

Ad ſtudia literarum tractanda non quilibet eſt obligatus: tenetur tamen quivis aliquid addiſcere honeſtumque vitæ genus eligere, quo vel ſe ſuosque alat, vel humano generi inſerviat.

XIX.

XIX.

Cura corporis in eo conſiſtit, ut valetudo & vires conſerventur ac confirmentur congruentibus alimentis ac laboribus. Hinc fugienda intemperantia in cibo, potu, venere, labore, affectuum exceſſus, & nimia mollities.

XX.

Ad officium circa corpus refertur etiam conſervatio vitæ, quam homo ſibi pro lubitu non poteſt abrumpere.

XXI.

Αὐτόχειρες tamen non ſunt, qui vitæ genus eligunt probabilem maturiori fato occaſionem daturum, nec qui juſſu imperantis aut ex muneris ratione, aut officio charitatis, pro aliis probabili vitæ periculo ſe exponunt.

XXII.

Neque illicitum putamus mortem ſibi conſciſcere juſta judicis ſententia ad id condemnatum.

XXIII.

Non licet tamen ſpontanea morte prævenire mortem aliunde cum cruciatu aut ignominia ſibi imminentem, aut declinare violationem pudicitiæ,

XXIV.

Ex officio hominis erga ſe ipſum jus violentæ defenſionis & jus neceſſitatis fluunt.

XXV.

Defenſio ſui violenta regulariter licita, interdum præcepta, interdum prohibita eſt.

XXVI.

Tentanda tamen prius ſunt leniora & tutiora remedia.

XXVII.

In ſtatu civili arctiores ſunt defenſionis violentæ limites, quam in naturali, cum ratione cauſæ, tum ratione termini a quo, & ad quem.

XXVIII.

Licita eſt defenſio etiam adverſus errantem, furioſum, ebrium, noctambulum: quippe cum non ex delicto invadentis, ſed ex invaſi jure ſe conſervandi derivetur.

XXIX.

Ad fugam non obligatur, qui tutum in propinquo ſuffugium non habet.

XXX.

Favore defenſionis non fruitur, qui

in duellum provocatus, ubi comparuerit, ita premitur, ut, ni provocantem transfodiat, ipſi ſit pereundum.

XXXI.

Quod pro defenſione vitæ idem & pro defenſione membrorum conceditur: nec diſtinctio inter membra nobiliora & minus nobilia in praxi uſum habet.

XXXII.

An idem liceat pro pudicitia, magis controverſum eſt. Nos ſi homines viverent in ſtatu naturali affirmandum cenſemus, neque per ſtatum civilem illam licentiam ſublatam eſſe arbitramur.

XXXIII.

Defenſio rerum in ſtatu naturali licita eſt cum cæde aggreſſoris, modo res non ſit exigui momenti: non item in ſtatu civili, ubi directe propter res ſervandas neminem licet occidere, niſi in quantum ſine his vita conſervari nequit.

XXXIV.

Furem nocturnum occidere licitum eſt ob præſumptum vitæ periculum.

XXXV.

Interdum favor violentæ defenſionis in aggreſſorem recidit, ubi hic pœnitentia ductus ſatisfactionem & cautionem obtulit.

XXXVI.

Neceſſitas lege carere dicitur, non quod jus tribuat violandi legem, ſed quod ex fine legis, & hinc præſumta Legiſlatoris voluntate, oſtendat caſus illos neceſſitatis ſub lege non contineri.

XXXVII.

Neque id tantum pertinet ad leges humanas, ſed etiam divinas, imo & naturales, non affirmativas modo, ſed & negativas.

XXXVIII.

Interdum ubi neceſſitas jus non tribuit, favor tamen neceſſitatis quodammodo excuſat.

XXXIX.

Licitum ergo eſt membrum aliquod ſibi abſcindere ad conſervandam vitam.

XL.

Licitum quoque eſt in fuga pontem reſcindere, quanquam unus alterve hoſti hoc modo objiciatur: item adnatan-

tem

tem in naufragio ad tabulam duorum non capacem jamque occupatam repellere.

XLI.

Non autem licet in via interpoſitum innocentem, qui decedere nequit, directe occidere: etſi qui proſternit aut ſaltum ſuper ipſum molitur, etiam cum aliquo ejus periculo, excuſationem mereatur. Quod ſi tamen innocens hoc modo lædatur, læſio quantum fieri poteſt, reparanda erit.

XLII.

Licet quoque res alterius non æque indigentis in ſumma neceſſitate in quam citra culpam noſtram pervenimus, aliis mediis fruſtra tentatis vi aut clam auferre, cum animo tamen reſtituendi.

XLIII.

Denique in ſumma neceſſitate rem alterius viliorem pro conſervanda noſtra pretioſiori licebit perdere, cum obligatione præſtandi æſtimationem, niſi ea una fuiſſet peritura.

CAP.

CAP. VI.

De

NON LÆDENDIS ALIIS.

Th. I.

OFFicia erga alios homines dividi ſolent in Abſoluta & Hypothetica.

II.

Abſoluta ſunt, quæ omnes homines, qua tales, antecedenter ad omne inſtitutum, pactum, aut factum humanum obligant.

III.

Hypothetica ſunt, quæ vel inſtitutum aliquod ab hominibus introductum aut receptum, vel ſtatum adventitium ſupponunt.

IV.

Inter abſoluta primum præcipuumque, utpote latiſſimum, facillimum & maxime neceſſarium eſt: *Neminem læde.*

V.

Absque hoc pax & tranquillitas generis humani conſiſtere nequit: &, vi æqualitatis naturæ humanæ, quod quisque ſibi non vult fieri, id aliis quoque ne faciat, obſtrictus eſt.

VI.

Læſio fit per ablationem, denegationem, ſubtractionem vel corruptionem bonorum, jure connato vel acquiſito nobis competentium.

VII.

Lædere homo hominem poteſt in mente, corpore, vita, fama, opibus & juribus.

VIII.

Ex læſione damnum oritur: quod hic latiſſime ſumitur pro privatione boni cujusvis ob factum alterius jure deſtitutum.

IX.

Quacunque in re facta fuerit læſio, *damnum datum* (quantum fieri poreſt) *eſt reſtituendum.* Nam reſtitutionis denegatio eſt continuata læſio: & vana alioquin lex eſſet de nemine lædendo.

X.

Damni nomine non venit denegatio eorum, quæ obligatione imperfecta debentur.

XI.

Non modo res ipſa principalis reſtituenda eſt, ſed & fructus, qui juſte ſperari poterant: imo quicquid ex aliqua læſione velut naturali neceſſitate deinceps profluxit.

XII.

Non omnes qui occaſione alicujus actus noxii peccato obſtringuntur, ad reſtituendum obligantur: ſed illi demum, qui revera damni cauſa fuerunt, vel immediate per ſe, vel per alios, & momentum aliquod ad id contulerunt faciendo vel omittendo.

XIII.

Patrator facinoris primario tenetur ad reſtitutionem, niſi ab alio pro imperio juſſus aut coactus fuerit; tum enim jubens & cogens primario obligatur.

XIV.

In actibus individuis, & iis qui ex plurium conſpiratione proveniunt, omnes pro ſingulis,& ſinguli pro omnibus in ſolidum

lidum tenentur: in dividuis vero citra conſpirationem ſuſceptis quilibet pro parte damni a ſe data.

XV.

Reparatione ab uno facta, reliqui liberantur: quod in pœnis ſecus eſt.

XVI.

Non ſolum qui dolo, ſed & qui culpa qualicunque læſit, damnum reparare debet.

XVII.

Caſum fortuitum non præſtat lædens, niſi ultro in ſe ſuſceperit, aut culpa præceſſerit.

XVIII.

Si ſervus damnum dederit citra culpam domini, obligatur hic, ut vel ſervum læſo dedat, vel damnum reſarciat: cum ſervus naturaliter obligatus ſit ad damnum a ſe datum reparandum, nec dominus læſum in jure ſuo proſequendo impedire debeat.

XIX.

De animalibus, quæ ſine culpa domini noxam intulerunt, dedendis, vel damno reſarciendo, præceptum juris natu-

ralis non extat: conſtat tamen ſua legi civili ex rationibus idoneis æquitas.

XX.

Uti lædens reparationem offerre, & vel teſtari malitiam abfuiſſe, vel pœnitentiam oſtendere, cautionemque in futurum præſtare, ita læſus cum eo in gratiam redire debet. Vindicta enim, voluptatem tantum ex alterius dolore quærens, legi naturæ adverſa eſt.

CAP. VII.

De AGNOSCENDA NATURALI HOMINUM ÆQUALITATE.

Th. I.

NOn tam ſpeciale officium, quam fundamentum officiorum hominis erga alios homines eſt: *ut quisque alterum hominem æſtimet atque tractet, tanquam naturaliter ſibi æqualem, ſeu ut æque hominem.*

II.

II.

Eſt enim hoc ipſum illud univerſale de cuſtodienda ſocialitate præceptum, aliis verbis propoſitum. Nam uti ſocialitas commode in dilectionem proximi reſolvi poteſt; ita eundem plane ſenſum habent hæc præcepta; Alios ut æque homines tracta, &, dilige proximum ſicut teipſum; quo poſteriori Servator ſummam officiorum erga alios complexus eſt.

III.

Fluunt ex hoc principio duo officia abſoluta: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, h. e. Neminem læde, &, *Quod tibi vis fieri, alteri etiam feceris*, h. e. Aliorum commoda promove.

IV.

Idem re ipſa docent, qui per ſocialitatem homines ad *pacem* & *amicitiam* cum aliis colendam obligari aſſerunt.

V.

Attenditur hic non ad æqualitatem virium aut malitiæ: ſed ad æqualitatem naturæ humanæ, in qua æqualitas juris & obligationis fundatur; vi cujus quilibet erga alterum naturæ leges obſerva-

re debet, & hoc ipſum ab altero exigere poteſt.

VI.

Atque hanc æqualitatem non tollit inæqualitas libertatis ac poteſtatis, per ſtatus adventitios introducta.

VII.

Æqualitas hæc exigit: Ut qui aliorum opera uti vult, viciſſim quoque in eorundem uſus ſeſe diſpenſare debeat. Quod Auctoris tertium officium abſolutum eſt.

VIII.

Poſtulat quoque æqualitas: Ut ne quis, cui peculiare jus non eſt quæſitum, plus ſibi, quam reliquis, arroget, ſed illos æquo ſecum jure frui permittat. Hoc enim qui non obſervat, alios in jure ſuo lædit.

IX.

Per eundem canalem ex hoc fonte deducitur: Ubi jus inter alios ſit diſtribuendum, æquales æqualiter tractandos, & neutri præter merita cauſæ quid præ altero indulgendum. Contrarium qui facit, contumelia & injuria afficit adeoque lædit alios.

X.

Obſervatur hæc æqualitas per diviſio-

ſionem in partes æquales, uſum communem vel alternum, præſtationem rei æquipollentis, vel ſortem, quæ contumelia & injuria vacat.

XI.

Peccatur contra æqualitatem per ſuperbiam, quæ vitium eſt, quo quis nulla de cauſa, aut non ſufficiente, aliis ſe præfert, & velut inæquales eosdem præ ſe deſpicit, vel etiam æſtimationem eorum lædit.

XII.

Non ſufficiente cauſa aliis ſe præferre ſuperbiam ſimpliciter, nulla de cauſa id facere ſuperbiam ſtultam haud immerito vocaveris.

XIII.

Honorem tamen ſibi debitum tueri, citra inanem faſtum, aut aliorum contemtum, non ſuperbia, ſed generoſitas eſt.

XIV.

Superbiæ opponuntur modeſtia & humilitas, quarum illa propter æqualitatem nemini ſe præfert, hæc ex infirmitatum conſcientia alios ſibi præfert.

XIV.

Superbia aliorum exiſtimationem lædens contumelia dicitur, quæ contemtum externis ſignis prodit, & manifeſtam continet injuriam.

CAP. VIII.

De *PROMISCUIS OFFICIIS HUMANITATIS EXERCENDIS.*

Th. I.

INter officia abſoluta quorumlibet erga quoslibet eſt etiam hoc: *Ut quilibet alterius utilitatem, quantum commode poteſt, promoveat.*

II.

Requirit hoc æqualitas, requirit ſocialitas, quæ non pacem modo inter homines ſervari, ſed & amicitiam coli mutuamque benevolentiam ali vult.

III.

Commoda aliorum promovemus vel definite, vel indefinite.

IV.

IV.

Indefinite aliis proſumus 1. animum corpusque ad uſum ſocietatis excolendo 2. præclara atque utilia inveniendo.

V.

Peccant contra hoc officium qui 1. nullam honeſtam artem addiſcunt vitamque per ſilentium tranſigunt, nemini utiles. 2. qui opes à majoribus relictas conſumentes, ignaviæ litant, 3. qui bona ſua per avaritiam aliis invident &c.

VI.

Iis, qui bene de humano genere merentur, nec invidendum, nec remora injicienda; ſed fama illorum potius celebranda, & ſtudium imitandum.

VII.

Definite aliis inſervimus vel per officia humanitatis ſimplicis, vel per beneficia.

VIII.

Illa verſantur circa res innoxiæ utilitatis, quæ accipienti proſunt, præſtantem non gravant. Unde ea denegare deteſtanda malignitas & inhumanitas eſt.

IX.

Beneficia ex ſingulari benevolentia

proficiſcuntur, & impenſa quadam, aut opera laborioſa, conſtant.

X.

In beneficiis tribuendis reſpiciendum 1. ad conditionem dantis & accipientis, 2. ad modum.

XI.

Reſpectu dantis & accipientis cavendum eſt, ne beneficentia noſtra ſit 1. noxia. 2. nimia. 3. iniqua. 4. inordinata. 5. intempeſtiva.

XII.

Noxia eſt, ſi vel illi ipſi, cui benefacere volumus, damno potius quam uſui ſimus, vel aliis benefaciendo noceamus aliis.

XIII.

Nimia eſt, ſi modum facultatum noſtrarum excedat.

XIV.

Iniqua eſt, ſi digniores & bene meritos indignis poſtponamus.

XV.

Inordinata eſt, ubi qui arctiori vinculo nobis conjuncti ſunt, aliis, ſi cetera paria ſint, poſthabentur.

XVI.

XVI.

Intempeſtiva eſt, quando illi præferuntur, qui minus indigent, & quibus ſine ope noſtra aliunde proſpici poteſt.

XVII.

Reſpectu modi beneficia conferri debent hilari fronte, promte, & cum conteſtatione benevolentiæ.

XVIII.

Beneficiis in accipiente reſpondere debet gratitudo, quæ conſiſtit in gratiis agendis, gratia reddenda, & gratia habenda.

XIX.

Non neceſſe eſt, ut præciſe tantum reddamus, quantum accepimus. Interdum amplius reddendum, interdum conatus & ſtudium obligationem explent.

XX.

Nihil ei debeo, qui me tantum non afficit injuria, aut a lædendo deſiſtit, aut ex malo, in quod me conjecerat, eripit, aut damnum datum reparat, aut præter intentionem profuit, aut etiam nocendi propoſitum habuit.

XXI.

XXI.

Gratitudinem præcipit lex naturæ, quia 1. hac ſublata tollitur omnis inter homines beneficentia, fiducia & benevolentia. 2. qui beneficia acceptat, ſimul obligationem, intentioni dantis convenientem, in ſe ſuſcipere cenſetur.

XXII.

Turpius quidem habetur ingratum eſſe, quam injuſtum; cum degeneris animi illud atque infra brutorum conditionem ſe dejicientis ſit: ingratitudo tamen per ſe injuria non eſt.

XXIII.

Ad gratiam enim referendam non minus, quam ad beneficia & officia humanitatis, imperfecta tantum obligatio; illa tamen arctior quam hæc eſt.

XXIV.

Hinc & in foro humano ob ſimplicem ingratitudinem actionem dari minus congruum videtur: quia 1. optima pars beneficii periret. 2. non tam ſplendidum eſt, quod eſt neceſſarium. 3. huic uni legi vix omnia fora eſſent ſuffectura, ob difficillimam circumſtantiarum æſtimatio-

mationem. 4. intentioni beneficium dantis repugnat coacta compenſatio.

XXV.

Ingratitudo autem prægnans, qua benefacientes etiam læduntur, actionem injuriarum non tam parit, quam aggravat.

CAP. IX.

De *OFFICIIS PACISCENTIUM.*

Th. I.

Diviſio officiorum in abſoluta & hypothetica adæquata eſt; neque neceſſum eſt, ut conſtituantur intermedia; nec omnia officia hypothetica pactum præſupponunt, & officia paciſcentium ad officia ſermocinantium haud incommode referuntur.

II.

Pactum eſt mutuus duorum pluriumve

ve in idem placitum de transferendo & acquirendo jure conſenſus.

III.

Pacta iniri neceſſum fuit, quia ſola humanitatis officia ad mutua commoda promovenda non ſufficiebant: partim ob hominum indolem ad iſta exhibenda non ſatis proclivium; partim ob rerum & operarum magnitudinem; partim ob perſonarum conditionem; partim etiam ob ignorantiam eorum, quibus alii indigent.

IV.

Officium paciſcentium generale eſt: *Ut quilibet cuilibet fidem datam ſervet:* Nam alioquin pacta inutilia forent, & in pactis transfertur jus quod invito auferre injuria eſt, unde pactorum violatio juſta querelarum & bellorum cauſa eſt.

V.

Fides etiam ſervanda eſt hoſtibus, hæreticis, perduellibus, latronibus, ſi nullum de cetero impedimentum adſit.

VI.

Ad ea, quæ ex officio humanitatis debentur, præſtanda imperfecte; ad ea, quæ

quæ ex pacto & promiſſo perfecto, perfecte obligamur.

VII.

Pacta ſunt vel gratuita, in quibus per actum ſolitarium fides datur, & unus duntaxat ad aliquid præſtandum ſe obſtringit, vel mutua, in quibus fides datur per actum reciprocum, & duo pluresve ad præſtandum quid mutuo ſe obligant. Illa promiſſa, hæc pacta in ſpecie vocantur.

VIII.

Promiſſio eſt vel imperfecta, vel perfecta. Illa obligationem imperfectam, hæc perfectam gignit. Ab utraque differt ſimplex aſſertio: differunt etiam verba honoris, quæ obligatoria non ſunt.

IX.

Ut promiſſa & pacta obligent, requiritur conſenſus.

X.

Conſenſus autem debet eſſe 1. declaratus. 2. verus. 3. mutuus.

XI.

Declaratur conſenſus per ſigna, quæ ſunt vel verba, vel facta. Illis declaratus conſenſus expreſſus, his tacitus vo-

vocatur. Ad verba pertinent etiam literæ & nutus verborum vice fungentes: ſub factis etiam non facta comprehenduntur. Præcipue vero ſilentium cum certis circumſtantiis conſideratum conſenſum indicare cenſetur.

XII.

Conſenſus tacitus & præſumtus interdum idem valent, interdum diſtinguuntur: ſtylo quidem juris Romani conſenſus præſumtus idem eſt ac fictus.

XIII.

Ex conſenſu tacito oriuntur pacta tacita, cum principalia, tum acceſſoria. Quorſum etiam referuntur conditiones & exceptiones tacitæ.

XIV.

Quo minus pro vero haberi poſſit conſenſus, obſtare dicuntur defectus uſus rationis, error, dolus & metus. De quibus tamen ſigillatim diſpiciendum.

XV.

Ob defectum uſus rationis promiſſa & pacta infantum, amentium & furioſorum, enormiter ebriorum, qua talium, nulla ſunt.

XVI.

Quouſque in pueris duret rationis imbecillitas, ex cujusvis actionibus quotidianis judicandum eſt. Hoc vero cum nimis ſit ambiguum: leges civiles ſuccurrunt determinatione ætatis, & curatorum conſtitutione.

XVII.

Error circa conditionem, qua ad promiſſionem quis fuit inductus, hanc irritam reddit: ſi quidem conditio vel aperte expreſſa fuerit, vel ex natura & circumſtantiis negotii liquido poſſit colligi.

XVIII.

Error vero, quo quis ad paciſcendum fuit permotus, niſi conditio expreſſe addita fuerit, pactum non reddit invalidum: nec intereſt, integra adhuc res ſit, nec ne.

XIX.

Error circa rem ipſam ejusque ſubſtantialia, moraliter conſiderata, ob defectum conſenſus pactum reddit nullum.

XX.

Dolus a tertio adhibitus, non collu-

dente eo, quo cum paciſcimur, pactum irritum non reddit. Obligatur tamen ad penſandum damnum, qui dolum adhibuit.

XXI.

Dolus paciſcentis, ſive cauſam dans, ſive incidens fuerit, obligationem impedit. Si tamen ad eſſentiam negotii nihil faciat, actus ſubſiſtit.

XXII.

Metus ſuſpicax pactum cum homine notorie perfido initum, nullis novis emergentibus indiciis perfidiæ, non reddit irritum.

XXIII.

Ubi vero poſt pactum initum certa ſe produnt futuræ perfidiæ indicia, ſuſpendere licebit præſtationem, donec contra deceptionem cautum ſit.

XXIV.

Pacta propter metum terrentem a tertio incuſſum inita valent, ſiquidem metus non tam cauſam, quam occaſionem, præbuerit pacto.

XXV.

Pacta per metum juſtum expreſſa valida ſunt.

XXVI.

XXVI.

Invalida autem ſunt per metum injuſtum ab altera paciſcentium parte extorta. Pactis tamen de pace inter gentes exceptio metus regulariter non poteſt opponi.

XXVII.

Conſenſus non modo in pactis debet eſſe mutuus, ſed etiam in promiſſis requiritur promiſſarii acceptatio, cujus vim habet antecedens rogatio, ſi ei promiſſio reſpondeat.

XXVIII.

Materia pactorum debet eſſe in noſtra poteſtate.

XXIX.

Ergo (1) nemo obligare ſe poteſt ad impoſſibilia. Si tamen poſſibilitatem præ ſe ferat paciſcens, tenetur ad damnum reſarciendum.

XXX.

Si poſt pactum res citra culpam paciſcentis fiat impoſſibilis, re integra pactum eſt nullum: quod præſtitum jam eſt, aut reſtituendum, aut compenſandum, aut ſaltem ſummus conatus adhibendus.

XXXI.

Si dolo, vel culpa ſua, paciſcens vires amiſerit, ad id quod intereſt tenetur, imo & malo affici poteſt.

XXXII.

(2.) Qui illicita promiſit, non obligatur: quæ enim legibus prohibita ſunt, non ſunt in noſtra poteſtate.

XXXIII.

Neque merces debetur pro turpi facto perpetrato, aut perpetrando, promiſſa.

XXXIV.

Data quoque pro re turpi merces in foro conſcientiæ reſtituenda eſt: merito tamen favore legum civilium indignus judicatur qui alterum ad ſcelus perpetrandum mercede conduxit, eamque perſolvit.

XXXV.

(3.) Pacta ſuper rebus & actionibus alienis directioni noſtræ non ſubjectis irrita ſunt. Dolus autem commiſſus, imo & culpa admiſſa ad penſationem damni obligat.

XXXVI.

Qui promiſit, ſe operam daturum, ut

ut alter præſtet, tenetur iſtum omni modo moraliter poſſibili eo permovere.

XXXVII.

Qui plane ſe effecturum promiſit in oneroſis obligatur, ut alterum indemnem præſtet, non vero in beneficis.

XXXVIII.

Ad aliena etiam pertinent, in quæ alteri jam jus quæſitum eſt. Unde nec de his valide paciſci poſſumus, niſi in eum caſum, quo jus alterius exſpiraverit.

XXXIX.

Promittimus vel pure & abſolute, vel conditionate, adde: vel in diem.

XL.

Conditiones ſunt vel poſſibiles, vel impoſſibiles: Illæ vel caſuales, vel poteſtativæ, vel mixtæ: Hæ vel phyſice vel moraliter tales.

XLI.

Ubi conditio poſſibilis adjicitur, obligatio in ſuſpenſo eſt, donec exiſtat, vel conſtet non extituram.

XLII.

Impoſſibiles conditiones ſecundum

naturalem interpretandi ſimplicitatem orationem promittentem faciunt negativam: ſi quibus in negotiis pro non adjectis habentur, id ex lege civili eſt.

XLIII.

Die adjecta obligatio contracta eſt, ſed ante præfinitam diem præſtatio exigi nequit.

XLIV.

Per alios quoque valide poſſumus promittere: quos internuncios, vel etiam mandatarios, aut procuratores appellamus.

XLV.

Mala fides internuncii aut mandatarii non ſemper obſtat, quo minus per eum obligemur: inprimis ſi is, quo cum nomine noſtro pactus eſt, damnum pateretur, nec malam illius fidem facile perſpicere potuiſſet.

CAP.

CAP. X.

De OFFICIIS SERMOCINANTIUM.

Th. I.

INſtituta Univerſalia, ex quibus fluunt officia hypothetica, tria recenſeri ſolent: Sermo, Dominium & Pretium. Rectius quatuor conſtituuntur: duo principalia; Sermo & Dominium; & duo acceſſoria; Jusjurandum & Pretium.

II.

Sermo eſt vox hominis articulata,qua alter alteri animi ſui ſenſa ſignificat. Eſtque is utiliſſimum & plane neceſſarium ſocietatis humanæ inſtrumentum.

III.

Officium ſermocinantium generale erga alios homines eſt: *Ut ne quis ſermone, aut aliis ſignis,ad exprimenda animi ſenſa inſtitutis, alterum lædat, ſed potius aliorum commoda promoveat.*

IV.

Officia ſpecialia partim ſignificationem vocum, partim loquendi actum, partim convenientiam verborum cum animo reſpiciunt.

V.

Primum eſt: *Vocabula non in alia ſignificatione adhibenda eſſe, quam fert uſus, aut conventum eſt.* Nulla enim alioquin ſermonis foret utilitas. Hæc verior ratio eſt, quam quæ a pacto tacito petitur.

VI.

Secundum: *Loquendum vel tacendum, quoties lex aliqua naturalis, aut peculiare pactum, hoc vel illud expoſcit.* Non enim quod quis in animo volvit, coram quibusvis aperire ſemper tenetur.

VII.

Tertium: *Ea loquenda eſſe, quæ cum animo conveniunt, quoties alter illa ex nobis cognoſcendi jus vel perfectum vel imperfectum habet.* Hoc enim ubi nullum eſt, ceſſat quoque illa obligatio.

VIII.

Licet ergo ficto ſermone uti, quoties noſtra, vel aliorum utilitas id exigit, neque tertii jus læditur.

IX.

IX.

Sicut enim veritas Logica, Ethica & Moralis, ſive Legalis, non debent confundi; ita nec falſiloquium & mendacium.

X.

Veritas Logica conſiſtit in conventia ſermonis cum re; Ethica in convenientia ſermonis cum mente; Moralis, ſeu Legalis, in convenientia cum lege. Ubi igitur lex obligationem non imponit ſenſa animi patefaciendi, & illa & iſta indifferens erit.

XI.

Falſiloquium veritati Logicæ oppoſitum conſiſtit in disconvenientia orationis cum re, Ethicæ oppoſitum in disconvenientia orationis cum mente, Morali oppoſitum denique mendacium eſt, cum ſcilicet illa disconvenientia obligationi noſtræ & juri alterius contraria eſt.

XII.

Mendacii notam itaque non contrahunt, qui vel curioſas aliorum quæſtiones fictis ſermonibus eludunt, vel ad hoſtes decipiendos falſos rumores ſpar-

gunt, vel pueris fabulas narrant, vel ad melancholicos, iratos, mœſtos demulcendos figmentis veritatem obvelant.

XIII.

Nam cum ſermo inſtitutus ſit ad noſtram aliorumque utilitatem promovendam: medium ita adhibendum eſt, ut obtineatur, non ut evertatur finis.

XIV.

E contrario â mendacii culpa immunes non ſunt, qui partem veri reticent, & qui æquivocationibus aut reſervationibus mentalibus utuntur, ubi alter animi noſtri ſenſa liquido cognoſcendi jus habet.

XV.

Nec reo igitur nec ejus advocato licet vel directe negare delictum judici in veritatem inquirenti, vel commentis ejusmodi illudere.

CAP.

CAP. XI.

De

OFFICIO JURANTIUM.

Th. I.

ACtibus, quibus ſermo intervenit, firmamentum accedit per Jusjurandum, quod eſt Religioſa DEI tanquam teſtis & vindicis invocatio, in aſſertionis, aut promiſſionis, confirmationem.

II.

Licitum eſt jurare, quia neque naturali, neque divina poſitiva lege prohibitum.

III.

Officium jurantium eſt: *Ad jurandum cum reverentia accedere, & quod juratum eſt religioſe obſervare.*

IV.

Finis eſt firmior ad enunciandum verum & ſervandam fidem adſtrictio; reſpectu illius ad terminationem litium, reſpe-

reſpectu hujus ad majorem hominum inter ſe conffdentiam, in univerſum, ad ſocietatis firmamentum ordinatur,

V.

Non niſi per DEUM jurandum eſt: unde juramenta per res opinione divinitatis deſtitutas impia ſunt & abſurda.

VI.

Aliud tamen eſt jurare per creaturas, aliud creaturarum in jurejurando mentionem facere.

VII.

Effectum ſuum non producit juramentum, niſi formula ejus accommodetur ad perſuaſionem ſeu religionem jurantis.

VIII.

Unde & ab eo, qui falſa de DEO perſuaſione imbutus eſt, licebit jus jurandum acceptare & exigere.

IX.

Etiam per falſos Deos, quos ipſe pro veris habet, jurans obligatur, &, ſi fefellerit, revera perjurium committit.

X.

Ad obligationem jurisjurandi non requiritur intentio ſed ſufficit, ſi quis fa-

faciat, quod ſerio jurantes facere ſolent. Sola igitur recitatio aut prælectio juramenti obligationem non producit.

XI.

Juramenta, noſtro judicio, novam & peculiarem producunt obligationem, non quidem ex promiſſione DEO facta, ſed ex lege naturali, nomen DEI in vanum adhibere vetante.

XII.

Hinc pactum juratum, etiam injuſta vi extortum, ſervandum eſt.

XIII.

Non obligat tamen juramentum de re impoſſibili & illicita præſtitum.

XIV.

Error & dolus circa ſubſtantialia obligationem etiam in juramentis impediunt.

XV.

Id efficiunt juramenta, ut omnes omnino cavillationes & reſervationes mentales abeſſe debeant; neque ad falſiloquia eadem adhibere licet.

XVI.

Juramenta ſtrictæ ſunt interpretationis, eo quidem ſenſu, ut juramenti ſen-

ten-

tentia, ubi ea ex verbis ſatis manifeſta eſt, omnino ſit tenenda.

XVII.

Cavendum igitur, ne, ſtricte verbis inhærendo, cavillationi locus detur.

XVIII.

Juramenta non minus, ac ceteræ promiſſiones, includunt tacitas conditiones & limitationes, quæ ex negotii natura fluunt.

XIX.

Verba jurisjurandi ex mente deferentis valent: quia alias finis jurisjurandi non obtinetur. Si quis vero juraverit ultro, mens jurantis erit reſpicienda.

XX.

Ex fine fluit diviſio juramentorum in aſſertoria & promiſſoria: Illa ad præterita, hæc ad futura pertinent.

CAP.

CAP. XII.

De

DOMINIO RERUM EJUSQUE ACQUIRENDI MODIS.

Th. I.

EX naturalibus etiam rationibus recte colligimus, datam a Deo eſſe humano generi facultatem utendi rebus creatis, non modo inanimatis, ſed & animatis ſenſuque præditis, easque ad conſervationem & commoditatem ſuam conſumendi atque deſtruendi: cum, qui vult finem, jus etiam concedat ad media.

II.

Hæc facultas non incongrue dominium univerſale appellari poteſt, cujus origo a divina conceſſione repetenda eſt. Dominium vero particulare ab occupatione cœpit. Pactum enim diviſorium, adjectamque conventionem, de

de facultate occupandi res nondum diviſas fruſtra confingi arbitramur.

III.

Communio, quæ dominium anteceſſiſſe intelligitur, univerſalis neque locum diu habuit, neque habere potuit. Nec modo fructus ab initio, ſed & ipſa corpora ſtatim dominium ſubire neceſſum fuit. Quo tamen magis multiplicatum eſt genus humanum, eo magis a communione eſt receſſum.

IV.

Dominium particulare eſt Jus, quo alicujus rei velut ſubſtantia ita ad aliquem pertinet, ut eodem modo in ſolidum non pertineat ad alios.

V.

Excluſio tamen actualis aliorum non eſt de eſſentia dominii.

VI.

Dominium & proprietas differunt ut relatum & correlatum. Illud hominibus, hæc rebus tribui ſolet.

VII.

Communio eſt vel poſitiva, vel privativa, vel negativa. Illa eſt qualitas moralis rerum, quæ ſunt in plurium dominio

minio indiviſim; iſta rerum, quæ non ſunt, eſſe tamen poſſunt in dominio; hæc rerum, quæ in dominio nec ſunt, nec eſſe poſſunt.

IIX.

Ad res negative communes lumen caloremque ſolis, aërem, & ſi quæ ſunt ſimilia, non autem aquam profluentem, nec mare referimus. Nam & quæ uſum inexhauſtum præbent in dominio eſſe poſſunt; officium vero humanitatis alios a tali uſu arceri vetat.

IX.

Modus acquirendi dominii eſt vel originarius, vel derivativus. Ille denuo vel principalis, quo dominium in corpus alicujus rei acquiritur, vel minus principalis, quo acquiruntur acceſſiones, vel jura in res alienas.

X.

Modus originarius principalis uti hodie unicus eſt, ita & olim fuit Occupatio, ſive Apprehenſio rei, quæ nullius eſt [ſive nunquam in dominio fuerit, ſive hoc ſit extinctum: quod & contigiſſe cenſetur ubi dominus non apparet,] cum animo ſibi habendi.

XI.

Hinc regula vulgaris: *Res nullius cedit occupanti.*

XII.

Id vero non provenit ex pacto quodam inter homines inito: ſed ex ipſa lege naturali, quæ cuivis fructum ſuæ induſtriæ applicationisque virium ſuarum adjudicat.

XIII.

Occupantur vel immobilia, ut regiones & inſulæ imperiò & dominio vacuæ, vel mobilia, idque per inventionem, ut theſaurus, vel per venationem, quorſum & aucupium & piſcatio pertinent, ut feræ, aves, piſces.

XIV.

Immobilia pedibus apprehenduntur, mobilia manibus, vel immediate, vel mediate per inſtrumenta.

XV.

Per occupationem rerum immobilium etiam in iis contentæ res mobiles, vel ſeſe moventes, tanquam acceſſoriæ, videntur occupatæ: niſi qui occupavit has pro derelictis habeat.

XVI.

Facultas occupandi, naturaliter competens, per legem civilem circumſcribi poteſt & adimi.

XVII.

Acceſſiones ſunt vel naturales, vel induſtriales, vel civiles. De his omnibus tenenda regula eſt; *Qui eſt Dominus ſubſtantiæ, ad eum etiam pertinent acceſſiones.*

XVIII.

Jura in res alienas, inter quæ ſunt ſervitutes, cum perſonales, tum reales, hæque vel urbanæ vel ruſticæ, acquiruntur variis modis, præcipue vero contractibus.

XIX.

Modi acquirendi derivativi pendere dicuntur vel ex diſpoſitione legis, vel ex facto prioris domini: Sed & illi conſenſu domini prioris nituntur, lege tamen naturali approbantur, & legibus civilibus ſpecialius determinantur.

XX.

Ad hujus generis modos referuntur Succeſſio ab inteſtato & Uſucapio.

XXI.

Succeſſio ab inteſtato nititur conjectura voluntatis, qua quisque bona ſua, non occupantibus, ſed illi poſt mortem ſuam cedere velle creditur, quem maxime amavit, vel potius ſecundum ordinem naturæ maxime amare debuit.

XXII.

Subvenit lex naturæ, quæ promiſcuas occupationes ob orituram inde ſummam confuſionem improbat, aliis idem facere jubet, quod nobis fieri volumus, & iniquitatis eos coarguit, qui bona defunctorum parentum occupando liberis alimenta ſubtrahere vellent. Sane tam univerſaliter recepta ſuccedendi conſuetudo ſanctiorem altioremque originem innuere videtur, quam leges civiles.

XXIII.

In hac ſucceſſione primum locum tenent deſcendentes, primi & ulteriorum graduum. Ordinem inter parentes & fratres determinant leges civiles, quæ æquiſſimæ ſunt, ubi utrisque favent, nec conjuges excludunt.

XXIV.

XXIV.

Uſucapio,ſeu Præſcriptio,nititur derelictione prioris domini, faventeque lege naturali introducta eſt, ne dominia rerum ſemper eſſent in incerto. Atque idcirco etiam inter gentes locum habet: imo inter has eo magis neceſſaria eſt, ne perpetuæ ſint bellorum cauſæ; quandoquidem lites gentium per communem judicem non æque, ac in civitatibus, decidi poſſunt.

XXV.

Ab hac tamen Uſucapio Juris Civilis, cum ratione fundamenti, tum ratione objecti, requiſitorum, & temporis multum differt.

XXVI.

Non attendunt ad hoc diſcrimen, qui de Uſucapione in univerſum ex jure civili judicant, vel huic ejus originem tranſcribunt. Maxime autem falluntur, qui juri naturali repugnare aſſerunt.

XXVII.

Facto prioris domini porro tranſeunt bona, vel mortis cauſa, per Teſtamenta, vel inter vivos; idque non ſolum, volente priore domino, per donationem

& contractus, ſed & invito, per pœnam & bellum.

XXVIII.

Teſtamentum eſt declaratio voluntatis noſtræ, circa ſucceſſores in bona noſtra, poſt mortem noſtram.

XXIX.

Teſtamenta non minus, ac ſucceſſiones ab inteſtato, ex jure naturæ ſuam habent validitatem: cum expreſſa voluntas utique plus operari debeat, quam voluntatis conjectura. Et, ſi naturale dominio pleno eſt, uti id in alios transferre liceat, quin idem etiam in eventum mortis liceat, nulla ratio eſt.

XXX.

Neque actus pro nullo invalidoque haberi debet, qui imperfectus eſt, atque a certis conditionibus ſuſpenſus.

CAP.

CAP. XIII.
De
OFFICIIS, QUÆ EX DOMINIO RERUM PER SE RESULTANT.

Th. I.

EX dominio, ſi res adhuc penes dominum ſit, primum hoc fluit officium: *Ut quilibet teneatur alterum* (non hoſtem) *pati rebus ſuis quiete frui, neque vi aut per fraudem illas corrumpere, intervertere, aut ad ſe trahere ſtudeat.*

II.

Si res aliena ad nos etiam ſine crimine noſtro & bona noſtra fide pervenerit, eamque adhuc in noſtra poteſtate habeamus, curandum, ut, quantum in nobis eſt, illa in poteſtatem legitimi ſui domini redeat.

III.

Neque hoc ex pacto quodam univerſali, ſed ex ipſius dominii natura, fluit.

IV.

Neque dominus rei, oneroſo titulo ad

 alte-

alterum translatæ, pretium reſtituere tenetur; cum rei propriæ emtio non detur.

V.

Fructus quoque percepti atque adhuc extantes reſtituendi ſunt. Nam cujus eſt res, ejus etiam ſunt fructus.

VI.

Quod ſi vero fructus percipere neglexerit b. f. poſſeſſor, domino eo nomine non obligatur; quod ſecus ſe habet in m. f. poſſeſſore.

VII.

Expenſas utiles & neceſſarias, in rem alienam, vel fructuum perceptionem, factas, ut poſſeſſori b. f. reſtituat dominus, æquum juſtumque eſt. Nemo enim alterius damno fieri debet locupletior.

VIII.

Quod quis juſto titulo acquiſivit, non tenetur ipſe in dubium vocare, & velut publice denunciare, an quis eam ſibi vindicare velit.

IX.

Res furtiva apud inſcium depoſita non deponenti furi, ſed domino eſt reſti-

ſtituenda: ille enim contra hunc nullum jus repetendi habet.

X.

Si res aliena vel fructus ex ea percepti fuerint conſumti, reſtituere bonæ fidei poſſeſſor tantum debet, quantum factus eſt locupletior.

XI.

Quod ſi ergo res non tantum caſu, ſed & voluntate poſſeſſoris perierit, ubi lucrum ex ea nullum habet, ad nihil tenetur.

XII.

Aſt, ſi qui conſumſit tantundem fuiſſet conſumturus de ſuo, quod hoc modo conſervavit, cum in eo factus ſit locupletior, reſtituere debet.

XIII.

Qui rem alienam amiſſam invenit, non poteſt eam retinere, niſi dominus non amplius appareat.

CAP. XIV.

De

PRETIO.

Th. I.

EX introducto rerum dominio commercia, & ex commerciis pretia orta ſunt.

II.

Pretium eſt valor rerum & actionum in commercium venientium: ſive, Quantitas moralis, juxta quam res & actiones inter ſe conferri & exæquari poſſunt.

III.

Dividitur in vulgare & eminens: illud rebus & actionibus, hoc nummo tribuitur.

IV.

Vulgaris pretii fundamentum eſt utilitas cum raritate conjuncta.

V.

Hinc quæ extra dominium & commercium ſunt vel ſua natura, vel lege aliqua divina aut humana, item, ſi quæ ſunt, quæ nullum plane uſum præbent,

& quorum abundans copia omnibus ſuppetit, pretium non habent.

VI.

Utilitas autem vel vera eſt, vel imaginaria: & hæc poſterior ſæpe prævalet priori.

VII.

Fundamentum conſtituendi pretii, auctum vel minutum, pretium ipſum etiam vel auget, vel minuit. Omne enim rarum carum, tanto magis, ſi maxima accedat utilitas vel neceſſitas. Cauſæ quidem illæ & circumſtantiæ omnes, quas ad augendum pretium facere vulgo aſſerunt, ad raritatem referri poſſunt.

VIII.

Ubi quis ob ſingulares cauſas & ex peculiari affectu rem aliquam majoris æſtimat, quam alii ſolent, id pretium affectionis dici conſuevit.

IX.

Pretia ſingularum rerum in ſtatu naturali definiuntur ſola contrahentium conventione: in civili per legem magiſtratus, quod *legitimum*, vel per uſum fori, accedente contrahentium conſenſu, quod *vulgare* Auctor, alii, ad evitandam

con

confuſionem, melius *conventionale*, ſeu *pactitium* appellant.

X.

Legitimum in puncto conſiſtit, ut, cum regulariter in gratiam emtorum conſtituatur, non liceat ab eo venditoribus plus exigendo recedere, etſi minus accipere non prohibeantur.

XI.

Conventionale habet aliquam latitudinem, atque, pro variis rerum circumſtantiis, varie nunc intenditur, nunc remittitur.

XII.

Cum ob creſcentes hominum cupiditates, multiplicatosque ſtatus, permutatio, qua ſola veterum commercia fiebant, non ſufficeret amplius neceſſitati: cogitandum fuit de materia, quæ ceterarum rerum pretia contineret atque dimetiretur, & qua interveniente quamlibet rem venalem ſibi comparare homines poſſent. Hinc pretium Eminens ortum.

XIII.

Ejus materia debuit eſſe 1, rara & utilis 2. ſubſtantiæ ſolidæ & compactæ

ſtæ 3. diviſibilis in partes 4. cuſtodiæ & translationi apta. Qualem habent metalla inprimis nobiliora.

XIV.

In civitatibus ſummorum imperantium eſt valorem nummi definire: hinc publica ſigna eidem ſolent imprimi.

XV.

Creſcente tamen nummorum copia, eorum pretium, in comparatione ad alias res, velut ultro decreſcit.

CAP. XV.

De *CONTRACTIBUS, QUI PRETIA RERUM PRÆSUPPONUNT & FLUENTIBUS INDE OFFICIIS.*

Th. I.

PActa de rebus & actionibus in commercium venientibus pretio-

tioque æſtimari ſolitis a Puſendorfio Contractus appellantur.

II.

Dividuntur Contractus in beneficos & oneroſos. Illi commodum absque onere in alterum transferunt: Hi utrumque contrahentium ad mutuum onus adſtringunt.

III.

In contractibus oneroſis æqualitas, quantum fieri poteſt, obſervari debet; hæc enim contrahentium intentio eſt. Difficillimam tamen ejus æſtimationem eſſe, ob pretiorum incertitudinem, opinionumque diverſitatem, res ipſa docet.

IV.

Ad æqualitatem æſtimandam neceſſum eſt, vitia rei, de qua agitur, indicari: quod tamen non extendendum ad circumſtantias, quæ rem ipſam non contingunt.

V.

Si qua læſio poſt contractum fuerit deprehenſa, ea corrigenda eſt, & ſupplendum quod deeſt minus habenti. Læſio autem dici nequit, ubi contrahen-

hentes, rei, de qua agitur, gnari, pleno conſenſu de pretio convenerunt.

VI.

In Contractibus etiam beneficis quædam rei æqualitas ſpectatur, ne quis ſcilicet ex beneficio damnum ſentiat.

VII.

Contractus benefici ab Auctore tres enumerantur, Mandatum, Commodatum & Depoſitum; quibus alii addunt Donationem.

VIII.

Mandatum eſt, quo quis gratis alterius negotia, ipſo committente, expedienda ſuſcipit.

IX.

Officium mandatarii eſt, cum fide & induſtria in negotio commiſſo verſari: mandantis, indemnem illum præſtare a ſumtibus & damnis, in quæ ex mandato incidit.

X.

Commodatum eſt, quo rei noſtræ uſum alicui gratis concedimus.

XI.

Commodatarii officia ſunt 1. diligente rrem commodatam ſervare, 2. ad

alios

alios uſus non adhibere 3. illæſam reſtituere: commodantis, impenſas neceſſarias refundere, & damnum culpa datum reſarcire.

XII.

Æquitati quoque naturali convenientius videtur, ut rei caſu perditæ damnum ferat commodatarius, niſi ea apud dominum quoque fuiſſet peritura.

XIII.

Depoſitum eſt, quo rem alicui gratis cuſtodiendam committimus.

XIV.

Officia depoſitarii ſunt 1. rem concreditam diligenter cuſtodire 2. ad poſtulatum, niſi quid obſtet, reſtituere. 3. non uti ſine domini conſenſu. 4. ne vinculis quidem exuere. 5. multo minus abnegare: deponentis, ſumtus in rem depoſitam factos reſtituere.

XV.

Contractus Oneroſi celebriores ſunt Permutatio, Emtio Venditio, Locatio Conductio, Mutuum, Societas & qui Aleam continent.

XVI.

Permutatio eſt contractus, quo utrinque

que res pro re æquivalente datur. Hodie res prius pecunia taxantur.

XVII.

Emtio venditio eſt contractus, quo rei alicujus dominium, aut eidem æquipollens jus, pro pecunia transfertur & acquiritur.

XVIII.

Acquiritur hoc modo dominium ſolo conſenſu. Traditio non ad perfectionem ſed executionem contractus pertinet.

XIX.

Hinc & periculum rei venditæ ante traditionem eſt emtoris.

XX.

Solent interdum pacta quædam emtioni adjici: inter quæ eminent Additio in diem, Lex commiſſoria, Retractus ſeu pactum de retrovendendo, Jus protimiſeos, Exceptio certæ partis aut ejus uſus: quorum deſcriptiones exhibet Auctor. Hæc uti a contrahentium conventione dependent, ita fideliter utrinque ſervanda ſunt.

XXI.

Peculiaria Emtionis venditionis gene-

ra ſunt: Emtio per averſionem, Auctio, Emtio ſpei: in quibus etſi omnimoda æqualitas non obſervetur, contrahentium tamen liber conſenſus efficit, ut nihil iniqui contineant.

XXII.

Locatio conductio eſt contractus, quo pro mercede alicui uſus rei vel opera addicitur.

XXIII.

Locationi rei & operæ addi ſolet etiam locatio operis. Sed qui locat operam vocatur conductor operis, & qui conducit operam appellatur locator operis.

XXIV.

Si de mercede nihil conventum fuerit, locator id expectare cenſetur, quod communis uſus, aut conductoris æquitas tulerit.

XXV.

Si res locata perierit, ceſſat ex eo tempore mercedis ſolvendæ obligatio.

XXVI.

Quod ſi res locata, quæ certum & definitum uſum habet, detrimenti quid ceperit, de penſione tantum detrahitur, quan-

quantum uſui deceſſit: Si vero rei locatæ proventus ſit incertus, uti exuberans penſionem non auget, ita nec malignus eandem minuit, niſi caſus rarior, de quo probabiliter non fuit cogitatum, & damnum gravius fuerit.

XXVII.

Locator rem uſui habilem ſuis ſumtibus præſtare; conductor vero ad boni patrisfamilias modum ea uti debet.

XXVIII.

Qui vel rem vel opus faciendum conduxit, per ſuam culpam perdita reſtituere debet.

XXIX.

Operas præſtare impeditus mercedem poſtulare nequit. In continuis tamen humanitati & æquitati aliquid tribuendum.

XXX.

Mutuum eſt contractus de re fungibili alteri concedenda, ut poſt intervallum res ejusdem generis, qualitatis & quantitatis reddatur.

XXXI.

Res fungibiles dicuntur, quarum una alterius per uſum conſumtæ vice fungi

poteſt, & numero, menſura ac pondere determinantur: unde & quantitates appellari ſolent ſpeciebus oppoſitæ.

XXXII.

Uſuras ex mutuo ſumere non magis illicitum eſt, quam mercedem pro præſtita opera, aut uſu rei exigere.

XXXIII.

Debent tamen uſuræ eſſe moderatæ, nec humanitas patitur ab iis exigi, quibus eleemoſynæ debentur.

XXXIV.

Societas eſt contractus de rebus vel operis conferendis, atque lucro vel damno inter conferentes dividendo.

XXXV.

Sociorum eſt 1. fidem & induſtriam adhibere. 2. a ſocietate intempeſtive non diſcedere. 3. Lucrum & damnum pro ſortis ratione partiri, niſi vel lex aliter diſpoſuerit, vel aliter ſit conventum; ut e. g. aliquis damni expers ſit. 4. Soluta ſocietate ipſas etiam ſortes detracto lucro aut damno pro ratione collationis diſtribuere.

XXXVI.

Contractus aleam continentes ſunt, qui-

quibus compromittitur in caſum incertum, pro cujus eventu alterutri compromittentium parti jus aliquod acquiritur.

XXXVII.

Præcipuæ illorum ſpecies ſunt Sponſio, Ludus, Lotaria, Olla fortunæ, Aſſecuratio, quarum deſcriptiones exhibet Auctor: circa quas tamen obſervandum, hodiernas Lotarias ad Ollam fortunæ, prout hæc ab Auctore definitur, accedere.

XXXVIII.

Hi contractus per ſe illiciti non ſunt, ludi tamen plerumque ex circumſtantiis vitium trahunt.

XXXIX.

Inter contractuum firmamenta eminent Fidejuſſiones & Pignora.

XL.

Fidejuſſio eſt contractus, quo quis in majorem creditoris ſecuritatem obligationem alienam in ſubſidium ſuſcipit, a ſe, niſi debitor principalis ſolvat, exigendam.

XLI.

Fidejuſſor debet eſſe perſona, quæ creditori ad ſolvendum idonea cenſetur.

XLII.

Ad majorem ſummam fidejuſſor non tenetur, quam debitor principalis: obligari tamen arctius poteſt.

XLIII.

Fidejuſſor naturaliter conveniri poteſt, ubi debitor principalis vel non eſt ſolvendo, vel non vult ſolvere.

XLIV.

Si plures pro uno fidejuſſerint, ſinguli pro rata tenentur. Si vero unus ſolvendo non ſit, aut conveniri nequeat, reliqui hujus portione onerantur.

XLV.

Res a debitore creditori in ſecuritatem crediti tradita pignus, aſſignata tantum & obligata hypotheca vocatur.

XLVI.

Unde pignus & hypotheca majoris eſſe debent, quam ipſum creditum, ſiquidem finem obtinere velit creditor.

XLVII.

Pactum Antichreticum & Lex commiſſoria pignoribus adjecta, ceteris paribus, juri naturæ non repugnant.

CAP.

CAP. XVI.

De MODIS, QUIBUS SOLVUNTUR OBLIGATIONES, QUÆ EX PACTIS ORIUNTUR.

Th. I.

NOn contrahi modo obligationes, ſed contractæ etiam ſolvi poſſunt. Modi autem præcipui ſolvendi obligationes ſunt Expletio, Compenſatio, Condonatio, Mutuus Diſſenſus, Perfidia alterius partis, Mutatio ſtatus, Tempus, Mors, Delegatio.

II.

Expletione ſolvitur obligatio, quando id, de quo conventum fuit, quodve debetur, exacte & bona fide præſtatur.

III.

Compenſatio eſt debiti liquidi ob debitum reciprocum ejusdem naturæ ſublatio.

IV.

Condonatio eſt gratuita debiti remisſio, quæ vel expreſſa eſt, vel tacita.

V.

Solvuntur obligationes reciprocæ nondum præſtitæ mutuo diſſenſu, ſi arbitrio obligatorum ſubſint, & niſi leges obſtent, ut in matrimonio.

VI.

Rumpitur quidem alioquin obligatio alterius partis perfidia in parte læſa; ſed Imperante non præſtante quod ut talis, debet, non ſtatim tollitur obligatio ſubditorum.

VII.

Expirant obligationes per mutationem ſtatus. Caute tamen accipienda eſt regula: Conventionem omnem intelligi rebus in eodem ſtatu permanentibus; nempe de ſtatu in quo unice fundatur obligatio.

VIII.

Tempore ſolvitur obligatio, ſi hæc ad certum tempus contracta, idque elapſum fuerit.

IX.

Morte tolluntur obligationes in perſona

ſona radicatæ; ſi bonis inhæreant, hæredes novo conſenſu, etſi plerumque tacito, obligari videntur.

X.

Per delegationem quis obligatione ſolvitur, dum conſentienti creditori alium ſubſtituit, qui loco ipſius ſatisfaciat. Qui ſi debitor noſter ſit, ceſſio nominis appellatur: ad quam debitoris conſenſus non requiritur.

CAP. XVII.

De *INTERPRETATIONE.*

Th. I.

IN id quilibet in foro humano obligari cenſetur, quod recta verborum Interpretatio ſuggerit. Unde non male etiam in hac diſciplina de Interpretatione agitur.

II.

Eſt autem Interpretatio ſignorum, præcipue verborum, quibus alter ad

mentem ſuam declarandam uſus eſt, accurata explicatio, ut, quid voluerit, clare intelligatur. Eſt vel Declarativa vel Extenſiva vel Reſtrictiva.

III.

Ad declarativam requiritur cognitio linguæ & terminorum artis, de qua agitur. Unde Regulæ hæ ſunt obſervandæ:

1. *Verba regulariter ex uſu & proprietate vulgari intelligenda ſunt.*

2. *Vocabula artium explicanda ſunt ſecundum definitiones prudentum cujusque artis.*

IV.

Ubi autem verba ſunt ambigua aut contradictoria apparent, confugiendum eſt ad conjecturas.

V.

Conjecturæ potiſſimum ſumuntur à 1. Materia ſubſtrata. 2. Effectu & Conſequentibus. 3. Conjunctis loco & origine. 4. Ratione legis vel pacti, ut & 5. ab Affectu & Conditione loquentis, vel ejus, ad quem, aut de quo, ſermo eſt.

VI.

VI.

Ex primo fonte fluit hæc Regula: *Verba intelligenda ſunt ſecundum ſubſtratam materiam.*

VII.

Ex 2. *Si verba nude & ſimpliciter accepta vel nullum vel abſurdum aliquem effectum poſt ſe eſſent tractura, a receptiori ſenſu pauliſper eſt deflectendum.*

VIII.

Ex 3. *Ad antecedentia & conſequentia ſedulo eſt attendendum.* Item: *Obſcuræ locutiones explicandæ ſunt ex ejusdem auctoris dictis planioribus, etſi alio loco & tempore prolatis.*

IX.

Ex 4. *Illa interpretatio eſt ſequenda, quæ rationi negotii, quod agitur, congruit.*

X.

Ex 5. *Sermo obſcurus ita interpretandus eſt, prout affectui aut hypotheſi loquentis, item dignitati & conditioni tum ipſius, tum ejus, ad quem & de quo ille loquitur, eſt conveniens.*

XI.

Extenſiva interpretatio ratione legis, vel pacti, vel cujusque alterius negotii,

tii, tantummodo fundatur. Unde Regula illa communis de interpretatione legum: *Ubi eadem eſt ratio, ibi eadem eſt Juris diſpoſitio.*

XII.

In Reſtrictiva interpretatione ceteræ quoque regulæ, quæ in declarativa locum habent, applicari poſſunt.

XIII.

Habet & reſtrictio locum in colliſione legum, quæ non quidem directe pugnant, propter concurrentes tamen circumſtantias hic & nunc ſimul obſervari nequeunt. Circa quas regula generalis hæc eſt: ut, *quæ arctius obligat, alteri præferatur:* adeo, ut huic non debeatur obſequium, niſi quantum per illam licet.

XIV.

Hinc regulæ ſpeciales facile deducuntur, quarum aliquas tradit auctor. Circa I. autem obſervandum, eam tum demum veram eſſe, niſi permiſſio ſit generalis, juſſio vero ſpecialis, quod itidem circa III. notandum. Sexta quoque vera non eſt, niſi cetera omnia ſint paria.

XV.

Solent etiam regulæ tradi de Favorabilibus & Odioſis in interpretatione extenſiva & reſtrictiva, intra verborum ſignificationem. Sed locus hic conjecturarum ambiguus eſt, nec neceſſarius videtur.

LIB. II.

CAP. I.

De *STATU HOMINUM NATURALI.*

Th. I.

TRactatur in hoc libro II. non Politica, ſed doctrina de Officiis Hypotheticis certum ſtatum adventitium ſupponentibus.

II.

Status autem in genere eſt illa conditio, in qua homines conſtituti intelliguntur ad certum genus actionum obeun-

eundum, & ex qua certa officia & jura promanant.

III.

Dividitur Status in Naturalem & Adventitium.

IV.

Naturalis ſtatus vocabulum vel ſumitur pro ſtatu humanitatis ſtatui beſtialitatis oppoſito: vel pro ſtatu ſolitudinis, cui vita ſocialis opponitur: vel pro ſtatu ſocietatis univerſalis, quatenus opponitur ſtatibus adventitiis & ſpeciatim civili.

V.

Tertio ſignificatu acceptus vel per fictionem repræſentari poteſt; vel prout revera olim inter familias ſegreges extitit, nunc inter diverſas civitates exiſtit.

VI.

Status hic naturalis ab initio non fuit, ſed multiplicato genere humano demum emerſit, inter familias primum, deinceps inter civitates.

VII.

Jura Status Naturalis ſunt Libertas & Æqualitas. Unde conſequitur independen-

pendentia in actionibus, & facultas ſtatuendi pro lubitu de mediis ſuæ conſervationis juxta dictamen rationis.

VIII.

Idem tamen ſtatus maximis incommodis etiam eſt obnoxius, inter quæ eminet metus ab aliorum invaſione & inſufficientia propriæ defenſionis. Quanquam Auctor hic verbis Hobbeſii nimium exaggerat ſtatus civilis felicitatem, & præterea ſtatus naturalis ſecundam ſignificationem cum tertia confundit.

IX.

In hoc ſtatu controverſiæ non poſſunt decidi per communem imperantem, neque tamen rationi convenit, ut ſtatim ad arma ruatur. Igitur tentanda diſceptatio amica, compromiſſum ad arbitros, ſors. Interdum communium amicorum interpoſitio litem dirimit. Si media pacata nil efficiant, tum demum ei, qui juſtam cauſam habet, bello experiri licet.

X.

Non eſt ille ſtatus, ſtatus belli, prout Hobbeſius fingit, ſed tamen parum fi-

dæ pacis. Unde nemo quidem ſine cauſa laceſſendus, ſed in pace tamen etiam de bello cogitandum.

CAP. II.

De

OFFICIIS CONJUGALIBUS.

Th. I.

PRimus ſtatus adventitius eſt conjugalis, reliquarum ſocietatum primordium & ſeminarium.

II.

Conjugium ſecundum legem naturæ conſideratum eſt ſocietas maris & fœminæ pacto inita, de corpore mutuo præbendo, procreandæ ſobolis cauſa.

III.

Hunc enim in finem, non vero ad exſatiandam inanem voluptatem illa ſexuum inter ſe proclivitas a ſapientiſſimo Creatore inſtituta eſt. Extinctionem

nem tamen libidinis finem ſecundarium eſſe, non diffitemur.

IV.

Unde non modo ſodomia, beſtialitas, adulterium, ſed & ſcortatio ſimplex legi naturæ repugnat.

V.

Obligatio ad matrimonium ineundum eſt vel univerſalis, qua generis humani propagatio per conjugium, non per vagos concubitus, fieri jubetur: vel ſingularis, qua illi ad matrimonium contrahendum obligantur, qui per rationes phyſicas & morales idonei ſunt, & in caſto cœlibatu vivere nequeunt.

VI.

Polygamia virilis legi naturæ repugnat; non item muliebris, niſi ex conſequenti, poſtquam lege DEI poſitiva univerſali non licet alio pacto inire matrimonium, quam ut unus unam tantum habeat.

VII.

Divortium quoque legi naturæ non eſt contrarium: etſi perpetua ſocietas conjugum, uti & monogamia, rationi

convenientior eſt; lege tamen divina poſitiva univerſali, extra caſum adulterii & malitioſæ deſertionis, illud prohibitum eſt.

VIII.

Ex eadem lege Dei poſitiva univerſali derivandum eſt imperium mariti in uxorem.

IX.

Nuptiæ in linea recta naturali juri repugnant, idque ob confuſionem obligationum.

X.

Fratrum autem & ſororum conjugia, ut & eorum, qui in ſecundo gradu lineæ collateralis inæqualis ſe contingunt, contra legem naturæ non ſunt.

XI.

In civitatibus pro legitimis matrimoniis non habentur, quæ ad formam legibus civilibus præſcriptam non ſunt inita. Aliud tamen eſt matrimonium illegitimum, aliud minus ſolenne: quale eſt illud, quod ad morganaticam dicitur.

XII.

Officia conjugum mutua ex fine & natu-

natura hujus ſocietatis, itemque ex generali paciſcentium officio facile intelliguntur. Debent ſcil. (1.) *alter alteri corporis poteſtatem facere*, (2) *diligere invicem*, (3.) *in ſublevanda indigentia, nutrienda & educanda prole, regendaque familia adjumento eſſe*, & (4) *fidem conjugalem ſancte ſervare.* Ex imperio quoque maritali lege divina inſtituto maritum ad *prudentem uxoris directionem*, uxorem ad *obſequium & venerationem* obligari, manifeſtum eſt.

CAP. III.
De
OFFICIIS PARENTUM & LIBERORUM.

Th. I.

ALter ſtatus adventitius, ex conjugali naturali conſecutione ortus, eſt Paternus, cujus fundamentum eſt ſocietas inter parentes & liberos.

II.

Poteſtas parentum in liberos oritur non immediatè ex generatione, ſed ex officio educandi, quod ſine directione actionum, ſeu imperio, adminiſtrari nequit.

III.

Officium autem educandi parentibus a lege naturali injunctum eſſe patet, quia hi generarunt, & ob propinquitatem, naturalemque in liberos amorem, eo quam optime fungi poſſunt.

IV.

Quodſi tamen educatio jam ſit abſoluta, & liberi nihilominus in familia paterna manere velint, continuatio imperii tacito horum conſenſu nititur.

V.

Imperium hoc utrique parenti competit: ſi tamen ſocietas conjugalis ſit rectoria, penes eum præcipue erit, cujus potiores in illa ſunt partes, adeoque ex lege Dei poſitiva univerſali regulariter primario penes patrem, ſecundario penes matrem.

VI.

Mortuo patre matri accreſcit poteſtas,

ſtas, & in quemvis tranſit, qui educationis curam in ſe ſuſcepit.

VII.

Tanta eſt parentum poteſtas, quantam finis, qui eſt educatio, requirit.

VIII.

Non habent ergo facultatem occidendi prolem in utero, neque natum abjiciendi, neque jus vitæ & necis ex delicto in liberos, niſi ſimul ſint ſummi imperantes in civitate, vel ſaltem principatum aliquem familiæ in ſtatu naturali gerant, vel in ſtatu civili ex conceſſione legum hac poteſtate loco ſummi imperantis fungantur.

IX.

Habent autem facultatem modice caſtigandi, & contumaces domo ejiciendi, atque abdicandi.

X.

Pro diverſitate ætatis patriæ poteſtatis exercitium ſuos habet gradus, aliterque tractandus eſt tener puſio, aliter filius adultæ ætatis, qui ubi ex familia exceſſit, imperium parentum, & obſequium filii deſinunt; manente tamen debito reverentiæ & gratitudinis. Huc

 perti-

Digitized by Google

pertinent tria intervalla a Grotio diſtincta.

XI.

Imperium parentum non reddit liberos inhabiles ad res proprias habendas & acquirendas. Habent tamen parentes jus, alimentorum & educationis ſumtus erogatos inde repetendi.

XII.

Poteſt & educatio & adminiſtratio poteſtatis patriæ aliis ſalva lege naturæ committi, modo æque bene proſpectum ſit ſoboli.

XIII.

Si nulla alia ratio ſit alendi prolem, parentes eam oppignorare, aut vendere in ſervitutem tolerabilem poſſunt.

XIV.

Parentes pro lubitu prolem familia ſua ejicere, educatione & auxilio ipſorum adhuc indigentem, non poſſunt.

XV.

Sed nec liberi pro ſuo arbitrio, & citra conſenſum parentum, familia egredi debent: quippe cum horum ſit judicare, an educatione illi adhuc indigeant.

XVI.

XVI.

Sui tamen commodi cauſa parentes tempeſtivum liberorum è familia egreſſum impedire nequeunt; quandoquidem finis hujus ſocietatis id non permittit.

XVII.

Matrimonia liberi non rectè ineunt ſine parentum conſenſu. Invitis tamen parentibus ab iis, qui jam ad matrimonium habiles ſunt, initum, ex lege naturæ non videtur irritum, niſi iſto onerare velint familiam.

XVIII.

Officium parentum eſt *alere prolem, & honeſte educare*, ut & ipſa felix, & utile ſocietatis humanæ membrum evadat.

XIX.

Liberorum eſt, quamdiu in familia paterna ſunt, *parentibus in omnibus obedire*; ſoluta vero ſocietate, *reverentiam adhuc, & gratum animum*, tanquam vitæ & tot beneficiorum auctoribus, debent.

CAP. IV.

De

OFFICIIS DOMINORUM & SERVORUM.

Th. I.

TErtius Status adventitius eſt Herilis, ſocietati inter dominum & ſervum innixus.

II.

Conſtituitur hæc ſocietas pacto inter dominum & ſervum, vi cujus hic illi ſervire operasque præſtare, ille huic vel mercedem & alimenta, vel quævis vitæ neceſſaria ſuppeditare tenetur.

III.

Finis ergo eſt commodum domini qualecunque, & ſuſtentatio ſervi.

IV.

Hinc ſervitus per ſe, & ſi extra abuſum ſpectetur, juri naturæ minime repugnat.

V.

Nam inæqualitas ſtatus æqualitatem natu-

naturæ humanæ, & hinc ortam æqualitatem juris & obligationis non tollit.

VI.

Illa antem ſervitus quibusdam gentibus uſitata, qua ſervi non hominum ſed rerum numero habebantur, recte dicitur juri naturæ contraria.

VII.

Neque juri naturæ eſt conveniens, quod ipſum corpus ſervi, non ſecus ac corpus pecudis, domini eſſe credebatur.

VIII.

Servitutis variæ poſſunt eſſe ſpecies pro diverſitate pactorum, vel morum aut legum cujusque gentis. Unde alii ſunt ſervi mercenarii temporarii, alii perpetui, alii bello capti, alii ex his nati. Hinc diviſio ſervitutis in perfectam & imperfectam.

IX.

Diverſa igitur etiam eſt dominorum in ſervos poteſtas, cujus limites vel ex legibus pacti, vel ex natura & fine hujus ſocietatis æſtimandi ſunt,

X.

In nullo ſervitutis genere jus vitæ &

necis dominis competit in ſervos, etiam ex gravi delicto, nedum, ut ſine cauſa in eos ſævire poſſint.

XI.

In ſtatu tamen naturali violentæ quoque dominorum coercitioni obnoxii ſunt, qui ſervitutem inprimis perfectam ſerviunt.

XII.

Jus vendendi ſervos ex natura quidem hujus ſocietatis non fluit: ubi tamen commercium ſervorum eſt receptum, per venditionem ſervo non fit injuria; niſi vel expreſſe in pacto fuerit excepta, vel data opera, & præter meritum, duro & crudeli domino addicatur.

XIII.

Etſi enim homines non ſunt in commercio: quo minus tamen jus illorum actiones dirigendi, utilitatemque ex illorum operis percipiendi, in commercio eſſe poſſit, nihil videtur obſtare.

XIV.

Qui bello capti in ſervitutem conſenſerunt, non amplius ut hoſtes tractari poſſunt: quod ſi fiat, injuria afficiuntur.

XV.

XV.

Prolem ſervorum parentum conditionem ſequi non eſt iniquum. Fundamentum autem non in alimentorum ſuppeditatione, nec in vitæ imputatione, quibus obligatio tantum ad gratum animum declarandum reſpondet, multo minus in proprietate corporis, quippe quæ perperam fingitur, ſed unice in conſenſu parentum expreſſo vel tacito quærendum eſt.

XVI.

Officia dominorum ſunt (1.) *alimenta vitæque neceſſaria, & promiſſam mercedem ſervo præbere.* (2.) *imperio ſuo berili, tanquam in æque hominem, moderate uti.*

XVII.

Servorum officia ſunt (1.) *beris reverentiam & obſequium præſtare,* (2.) *demandatas operas diligenter & fideliter exequi,* (3.) *commodum dominorum pro viribus promovere.* (4.) *increpationes & caſtigationes etiam injuſtas patienter ferre* (5.) *non fugere, niſi ob immanem dominorum ſævitiam.*

XVIII.

Quæ ex minoribus hiſce ſocietatibus com-

compoſita eſt ſocietas Familia dicitur, in qua non alia, quam quæ hactenus enumerata ſunt, officia obſervanda ſunt cuique, pro ea, quam in hac ſocietate gerit, perſona.

CAP. V.

De

CAUSA IMPULSIVA CONSTITUENDÆ CIVITATIS.

Th. I.

HOmo per naturam ipſam non rapitur ad ſocietatem civilem. Quod ſi enim inter ſe natura humana, qualis nunc eſt, & vitæ civilis indoles comparentur, apparebit, averſari potius homines ea, quæ ad vitæ civilis conditionem neceſſaria ſunt, neque hanc, niſi minus malum, appetere.

II.

Cauſa igitur impulſiva conſtituendarum civitatum legitima eſt metus malorum ſtatum naturalem prementium. Hiſtoria autem docet, plurimas Reſp. aliis ex cauſis conſtitutas fuiſſe.

III.

Finis primarius civitatum, rectæ rationis dictamini conveniens, eſt ſecuritas, ſecundarius major commoditas.

IV.

Ad finem iſtum primarium obtinendum, & malitiam hominum reprimendam, non ſufficiebat edictum legis naturalis de nemine lædendo, & de ſervandis pactis; neque ſanctio pœnalis ei adjuncta, & per morſus conſcientiæ manifeſtata: cum & ad illud violandum pravis ſuis cupiditatibus facilè rapiantur homines, & ad hanc negligendam vel pravâ conſuetudine, vel dilatioue pœnarum divinarum, vel affectuum vehementiâ adduci ſe patiantur.

V.

In civitatibus vero remedium pravis cupidinibus reprimendis præſentaneum, & ad indolem hominum probè

at-

VII.

Conſtituta hoc modo civitas eſt ſocietas multorum hominum per pacta arctiſſimè inter ſe, quoad voluntates & vires, conjunctorum, ad communem omnium ſecuritatem & ſalutem.

VIII.

Conſideratur civitas ad modum unius perſonæ moralis compoſitæ, cui, uti ſua jura & res propriæ competunt, ita etiam conſtat ſua voluntas, quæ principium eſt actionum publicarum.

IX.

Exerit autem ſe voluntas civitatis per ſummum Imperantem, cujus voluntas habetur pro voluntate civitatis. Quare civitas id velle cenſetur, quod vel Regi in Monarchia, vel pluribus ex Concilio, cui ſummum Imperium competit, placuerit, niſi aliud expreſſe ſit conſtitutum.

X.

Partes civitatis ſunt imperantes & ſubditi. Imperans eſt vel Monarcha, vel Senatus, vel Populus Liber. Subditi etiam cives appellantur, quanquam hoc vocabulum interdum latius, interdum,

dum, & receptiori quidem ſenſu, anguſtius eſt voce ſubditi.

XI.

Cives in Originarios & Adſcititios diſpeſcere ſolent.

XII.

Peregrini cives non ſunt, pro ſubditis tamen temporariis habentur.

XIII.

Hæc de ſtructura civiatum doctrina non obſtat, quo minus DEUS recte pro auctore & cauſa principali Majeſtatis habeatur, quatenus multiplicato genere humano conſtitutionem civitatum, & ſummi in iis imperii, per dictamen rectæ rationis præcepit. Etſi autem a DEO immediate majeſtas non conferatur, ab eo tamen immediatè dependet.

pertinent tria intervalla a Grotio diſtincta.

XI.

Imperium parentum non reddit liberos inhabiles ad res proprias habendas & acquirendas. Habent tamen parentes jus, alimentorum & educationis ſumtus erogatos inde repetendi.

XII.

Poteſt & educatio & adminiſtratio poteſtatis patriæ aliis ſalva lege naturæ committi, modo æque bene proſpectum ſit ſoboli.

XIII.

Si nulla alia ratio ſit alendi prolem, parentes eam oppignorare, aut vendere in ſervitutem tolerabilem poſſunt.

XIV.

Parentes pro lubitu prolem familia ſua ejicere, educatione & auxilio ipſorum adhuc indigentem, non poſſunt.

XV.

Sed nec liberi pro ſuo arbitrio, & citra conſenſum parentum, familia egredi debent: quippe cum horum ſit judicare, an educatione illi adhuc indigeant.

XVI.

XVI.

Sui tamen commodi cauſa parentes tempeſtivum liberorum è familia egreſſum impedire nequeunt; quandoquidem finis hujus ſocietatis id non permittit.

XVII.

Matrimonia liberi non rectè ineunt ſine parentum conſenſu. Invitis tamen parentibus ab iis, qui jam ad matrimonium habiles ſunt, initum, ex lege naturæ non videtur irritum, niſi iſto onerare velint familiam.

XVIII.

Officium parentum eſt *alere prolem, & honeſte educare*, ut & ipſa felix, & utile ſocietatis humanæ membrum evadat.

XIX.

Liberorum eſt, quamdiu in familia paterna ſunt, *parentibus in omnibus obedire*; ſoluta vero ſocietate, *reverentiam adhuc, & gratum animum*, tanquam vitæ & tot beneficiorum auctoribus, debent.

CAP. IV.

De OFFICIIS DOMINORUM & SERVORUM.

Th. I.

TErtius Status adventitius eſt Herilis, ſocietati inter dominum & ſervum innixus.

II.

Conſtituitur hæc ſocietas pacto inter dominum & ſervum, vi cujus hic illi ſervire operasque præſtare, ille huic vel mercedem & alimenta, vel quævis vitæ neceſſaria ſuppeditare tenetur.

III.

Finis ergo eſt commodum domini qualecunque, & ſuſtentatio ſervi.

IV.

Hinc ſervitus per ſe, & ſi extra abuſum ſpectetur, juri naturæ minime repugnat.

V.

Nam inæqualitas ſtatus æqualitatem natu-

naturæ humanæ, & hinc ortam æqualitatem juris & obligationis non tollit.

VI.

Illa antem ſervitus quibuſdam gentibus uſitata, qua ſervi non hominum ſed rerum numero habebantur, recte dicitur juri naturæ contraria.

VII.

Neque juri naturæ eſt conveniens, quod ipſum corpus ſervi, non ſecus ac corpus pecudis, domini eſſe credebatur.

VIII.

Servitutis variæ poſſunt eſſe ſpecies pro diverſitate pactorum, vel morum aut legum cujusque gentis. Unde alii ſunt ſervi mercenarii temporarii, alii perpetui, alii bello capti, alii ex his nati. Hinc diviſio ſervitutis in perfectam & imperfectam.

IX.

Diverſa igitur etiam eſt dominorum in ſervos poteſtas, cujus limites vel ex legibus pacti, vel ex natura & fine hujus ſocietatis æſtimandi ſunt,

X.

In nullo ſervitutis genere jus vitæ &

necis dominis competit in ſervos, etiam ex gravi delicto, nedum, ut ſine cauſa in eos ſævire poſſint.

XI.

In ſtatu tamen naturali violentæ quoque dominorum coercitioni obnoxii ſunt, qui ſervitutem inprimis perfectam ſerviunt.

XII.

Jus vendendi ſervos ex natura quidem hujus ſocietatis non fluit: ubi tamen commercium ſervorum eſt receptum, per venditionem ſervo non fit injuria; niſi vel expreſſe in pacto fuerit excepta, vel data opera, & præter meritum, duro & crudeli domino addicatur.

XIII.

Etſi enim homines non ſunt in commercio: quo minus tamen jus illorum actiones dirigendi, utilitatemque ex illorum operis percipiendi, in commercio eſſe poſſit, nihil videtur obſtare.

XIV.

Qui bello capti in ſervitutem conſenſerunt, non amplius ut hoſtes tractari poſſunt; quod ſi fiat, injuria afficiuntur.

XV.

XV.

Prolem ſervorum parentum conditionem ſequi non eſt iniquum. Fundamentum autem non in alimentorum ſuppeditatione, nec in vitæ imputatione, quibus obligatio tantum ad gratum animum declarandum reſpondet, multo minus in proprietate corporis, quippe quæ perperam fingitur, ſed uniee in conſenſu parentum expreſſo vel tacito quærendum eſt.

XVI.

Officia dominorum ſunt (1.) *alimenta vitaque neceſſaria, & promiſſam mercedem ſervo præbere.* (2.) *imperio ſuo berili, tanquam in æque hominem, moderate uti.*

XVII.

Servorum officia ſunt (1.) *heris reverentiam & obſequium præſtare,* (2.) *demandatas operas diligenter & fideliter exequi,* (3.) *commodum dominorum pro viribus promovere.* (4.) *increpationes & caſtigationes etiam injuſtas patienter ferre* (5.) *non fugere, niſi ob immanem dominorum ſævitiam.*

XVIII.

Quæ ex minoribus hiſce ſocietatibus

com-

compoſita eſt ſocietas Familia dicitur, in qua non alia, quam quæ hactenus enumerata ſunt, officia obſervanda ſunt cuique, pro ea, quam in hac ſocietate gerit, perſona.

CAP. V.

De

CAUSA IMPULSIVA CONSTITUENDÆ CIVITATIS.

Th. I.

HOmo per naturam ipſam non rapitur ad ſocietatem civilem. Quod ſi enim inter ſe natura humana, qualis nunc eſt, & vitæ civilis indoles comparentur, apparebit, averſari potius homines ea, quæ ad vitæ civilis conditionem neceſſaria ſunt, neque hanc, niſi minus malum, appetere.

II.

II.

Cauſa igitur impulſiva conſtituendarum civitatum legitima eſt metus malorum ſtatum naturalem prementium. Hiſtoria autem docet, plurimas Reſp. aliis ex cauſis conſtitutas fuiſſe.

III.

Finis primarius civitatum, rectæ rationis dictamini conveniens, eſt ſecuritas, ſecundarius major commoditas.

IV.

Ad finem iſtum primarium obtinendum, & malitiam hominum reprimendam, non ſufficiebat edictum legis naturalis de nemine lædendo, & de ſervandis pactis; neque ſanctio pœnalis ei adjuncta, & per morſus conſcientiæ manifeſtata: cum & ad illud violandum pravis ſuis cupiditatibus facilè rapiantur homines, & ad hanc negligendam vel pravâ conſuetudine, vel dilatioue pœnarum divinarum, vel affectuum vehementiâ adduci ſe patiantur.

V.

In civitatibus vero remedium pravis cupidinibus reprimendis præſentaneum, & ad indolem hominum probè

attemperatum reperitur: quo finis iſte utcunque obtineatur.

CAP. VI.

De *INTERNA CIVITATUM STRUCTURA.*

Th. I.

ADverſus mala, ab hominum pravitate imminentia, nullum efficacius præſidium eſt homini, quam multorum hominum conjunctio & conſenſus.

II.

Multorum autem hominum, qui ſui juris ſunt, conſenſui duo impedimenta obſtant. Alterum eſt diverſitas judiciorum & inclinationum, cui in multis accedit hebetudo ad diſcernenda utilia, vel pervicacia in ſua opinione defendenda; alterum vero torpor & averſatio ultro faciendi, quæ ad communem utilitatem ſpectant.

III.

III.

Priori impedimento in conſtitutione civitatum obviam itur per unionem voluntatum, dum omnes ſuam voluntatem unius vel hominis vel concilii voluntati ſubjiciunt: poſteriori per unionem virium, quando conſtituitur poteſtas, quæ omnibus ſit metuenda.

IV.

Hæc voluntatum viriumque unio fieri aliter nequit, quam per pacta.

V.

Regulari modo civitates coaleſcere concipiuntur per duo pacta, & unum decretum. Primum pactum ſinguli cum ſingulis ineunt, quod velint concives fieri. Tum decretum fit de forma Reip. conſtituenda. Succedit alterum pactum inter imperaturum & ſubditos, quo ille ad curam communis ſecuritatis & ſalutis, hi ad obſequium illi præſtandum ſeſe obſtringunt.

VI.

Nec tamen neceſſe eſt, ut hæc pacta ſemper expreſſa ſint: tacita certè in omnibus civitatibus deprehenduntur.

VII.

Conſtituta hoc modo civitas eſt ſocietas multorum hominum per pacta arctiſſimè inter ſe, quoad voluntates & vires, conjunctorum, ad communem omnium ſecuritatem & ſalutem.

VIII.

Conſideratur civitas ad modum unius perſonæ moralis compoſitæ, cui, uti ſua jura & res propriæ competunt, ita etiam conſtat ſua voluntas, quæ principium eſt actionum publicarum.

IX.

Exerit autem ſe voluntas civitatis per ſummum Imperantem, cujus voluntas habetur pro voluntate civitatis. Quare civitas id velle cenſetur, quod vel Regi in Monarchia, vel pluribus ex Concilio, cui ſummum Imperium competit, placuerit, niſi aliud expreſſe ſit conſtitutum.

X.

Partes civitatis ſunt imperantes & ſubditi. Imperans eſt vel Monarcha, vel Senatus, vel Populus Liber. Subditi etiam cives appellantur, quanquam hoc vocabulum interdum latius, interdum,

dum, & receptiori quidem ſenſu, anguſtius eſt voce ſubditi.

XI.

Cives in Originarios & Adſcititios diſpeſcere ſolent.

XII.

Peregrini cives non ſunt, pro ſubditis tamen temporariis habentur.

XIII.

Hæc de ſtructura civiatum doctrina non obſtat, quo minus DEUS recte pro auctore & cauſa principali Majeſtatis habeatur, quatenus multiplicato genere humano conſtitutionem civitatum, & ſummi in iis imperii, per dictamen rectæ rationis præcepit. Etſi autem a DEO immediate majeſtas non conferatur, ab eo tamen immediatè dependet.

CAP. VII.

De PARTIBUS SUMMI IMPERII.

Th. I.

MAjeſtas eſt ſumma ubique in civitate poteſtas.

II.

Hæc ut totum aliquod poteſtativum conſideratur, cujus partes Jura Majeſtatis ſive Regalia dicuntur, atque ex natura & fine civitatum liquido colligi poſſunt.

III.

Itaque cum imperans ad finem civitatis actiones civium debeat dirigere, fluit hinc poteſtas leges ferendi de actionibus, bonis & juribus ſubditorum.

IV.

Fruſtra autem feruntur leges, nec ſecuritas civium conſervari poteſt, niſi illarum violatoribus, hujusque turbatoribus pœnæ infligantur. Unde imperanti competere debet jus pœnarum.

V.

Ut vero leges ad facta recte applicentur, juſtitiaque,ſine qua ſecura tranquillitas civitati conſtare nequit, rite adminiſtretur, neceſſaria eſt imperanti facultas judiciaria, ſive jurisdictio criminalis & civilis, ad facta ſecundum leges puniendo, & controverſias civium dirimendas.

VI.

Atque ut adverſus exteros tuta ſit civitas imperanti tribui debet jus belli gerendi, & ad hoc vel ſubditos cogendi, vel militem conducendi, pacem item faciendi, & fœdera Reip. nomine pangendi.

VII.

Sed cum ſummus imperans omnibus negotiis per ſe gerendis haud par ſit, jus ipſi erit miniſtros & magiſtratus conſtituere, qui vice ac nomine ipſius negotia expediant.

VIII.

Uti vero ſine ſumptibus negotia ad civitatis ſalutem neceſſaria expediri non poſſunt: ita competere debet imperanti poteſtas aliqua in bona civium publica

& privata, ut illa ad finem legitimum impendat, & ex his decerpat, quantum Reip. neceſſarium eſt. Hinc jus tributorum, quibus ſublevandis ex jure gentium inſervit jus vectigalium.

IX.

Multum etiam dependet tranquillitas civitatis civiumque ſalus a doctrinis, quibus quisque, cum circa alia, tum inprimis circa religionem imbutus eſt. Quare jus circa ſacra, ut & circa ſcholas atque Academias imperanti competere manifeſtum eſt.

X.

Cætera jura majeſtatis vel ad hæc referri, vel ex iisdem fontibus facile deduci poſſunt.

XI.

Regulariter quidem omnia jura majeſtatis in eodem ſubjecto debent eſſe conjuncta; neque tamen id ſemper ita ſe habet. Ubi ergo unum alterumque deeſt, mancum eſt imperium: ubi per plura ſubjecta ſunt diviſa, Reſp. emergit irregularis.

CAP.

CAP. VIII.
De
FORMIS RERUM PUBLICARUM.

Th. I.

FOrmæ Rerumpub. accidentales, pro diverſo Majeſtatis ſubjecto proprio, diverſæ ſunt.

II.

Sunt enim vel regulares vel irregulares; in illis ſummum imperium penes unum ſubjectum eſt indiviſim.

III.

Eſt autem illud ſubjectum vel unus homo, vel ſenatus, vel totus populus; unde tres oriuntur formæ regulares, Monarchia, Ariſtocratia & Democratia, in quibus omnibus eadem eſt majeſtas.

IV.

Singulæ habent ſua commoda & incommoda. In nulla quidem expeditius adminiſtrari poſſunt negotia ad finem pertinentia, quam in monarchia.

V.

Reſpublicæ ſunt vel ſanæ, vel morbidæ & corruptæ. Hæ vel laborant vitiis hominum, cumprimis imperantium, vel vitiis ſtatûs.

VI.

Vitia Principum in monarchia præcipua ſunt, imperitia regendi, negligentia, ſævitia, temeritas, luxuria, avaritia & injuſtitia.

VII.

Vitia Senatorum in Ariſtocratia ſunt, improborum & ineptorum hominum ambitus, factiones, oppreſſio plebis, bonorum publicorum interverſio.

VIII.

Vitia populi in Democratia ſunt, turbulenta ineptorum hominum ſuffragia, virtutum ex invidia oppreſſio, legum temeraria mutatio, ſordidorum & ineptorum hominum ad regimen evectio.

IX.

In quavis Reip. ſpecie vitia imperantium ſunt negligentia vel pravitas, civium, inobedientia.

X.

Vitium ſtatûs eſt legum fundamentalium

lium & inſtitutorum ratio genio populi difformis, bellis vel inteſtinis vel externis excitandis apta, cives ad Reip. munia obeunda ineptos vel imbelles reddens, expeditionem negotiorum impediens.

XI.

Vitioſam, ex culpa imperantium, monarchiam, tyrannidem, paucorum regimen vitioſum, oligarchiam, populi imperium corruptum, ochlocratiam appellare ſolent: quæ vocabula non morbum Reip. ſed pravum hominum affectum adverſus præſentem ſtatum vel imperantes denotare, interdum, non ſemper, verum eſt.

XII.

In Rep. irregulari ſummum imperium penes plures eſt diviſim: mixtam alii appellant.

XIII.

Irregularitatem morbum eſſe negat Pufend. alibi tamen haud obſcure fatetur.

XIV.

Ubi plures perfectæ civitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, ut

earum vires ferè pro unius civitatis viribus haberi queant, ſyſtemata civitatum appellantur.

XV.

Fiunt ejusmodi ſyſtemata vel per communem Regem, qui plura regna ſuis quæque legibus adminiſtrat: vel per fœdus aliquod perpetuum plurium civitatum liberarum ac vicinarum, quæ jura quædam majeſtatis conjunctim, ſalva manente de cetero libertate & independentiâ ſingularum, exercent.

CAP. IX.

De *AFFECTIONIBUS IMPERII CIVILIS.*

Th. I.

AFFectiones ſummi Imperii Civilis ſunt vel unitæ vel disjunctæ.

II.

Unitæ affectiones ſunt (1.) Independentia ab alio homine tanquam ſu-

ſuperiore, (2.) ἀνευθυνία ſ. immunitas a reddendis rationibus, (3.) Eminentia ſupra leges civiles, (4.) Sanctitas ſ. inviolabilitas.

III.

Ob independentiam actus Summi Imperantis ab alio, tanquam ſuperiore, irriti reddi nequeunt.

IV.

Summum Imperium pœnis humanis, aut coercitioni non eſt obnoxium. Monarchomachorum enim diſtinctio majeſtatis in realem & perſonalem periculoſa eſt & abſurda.

V.

Legibus civilibus indirecte obligari poteſt imperans, quatenus vel tanquam conditiones in contractibus ſpectantur, vel exemplo ſuo ille vim & efficaciam iis addere poteſt.

VI.

Ob ſanctitatem imperanti etiam per ſummam injuriam invadenti, mortemque intentanti, cruenta defenſione reſiſtere ſubditi nequeunt.

VII.

Dis junctæ ſummi imperii affectiones

vel modum ejus adminiſtrandi, vel modum habendi reſpiciunt.

VIII.

Ratione modi adminiſtrandi imperium aliud eſt abſolutum, aliud limitatum. Abſolutum eſt, quod ſolo proprio ex judicio adminiſtrare poteſt imperans. Limitatum, in quo ſummus imperans ad certam regiminis formam & modum per leges fundamentales adſtringitur.

IX.

Limitatum imperium idcirco non deſinit eſſe ſummum: neque enim omne ſummum abſolutum eſſe debet.

X.

Reſpectu modi habendi imperium aliud eſt patrimoniale, aliud non patrimoniale: quod a Grotio uſufructuarium, ab aliis fideicommiſſarium, vel etiam legitimum appellatur. Illud alienari poteſt ab imperante, hoc non poteſt.

XI.

Nec omnia regna eſſe patrimonialia, nec nulla dari cenſemus.

CAP.

CAP. X.

De

MODIS ACQUIRENDI IMPERIUM, INPRIMIS MONARCHICUM.

Th. I.

Modus acquirendi imperii inprimis Monarchici eſt vel violentus, qui fit per occupationem bellicam, vel ultroneo civium conſenſu nixus, quo vel perſona, vel familia per electionem ad imperium vocatur.

II.

In occupatione tamen bellica etiam requiritur ſubjectorum conſenſus, quem vi extorquere poteſt victor, ſi modò juſtam habeat belli cauſam, læſoque aliter ſatisfieri nequeat.

III.

Principi decedenti vel per novam electionem alius ſubſtituitur; qualia regna electiva dicuntur: vel ea lege in ali-

aliquem collatum eſt imperium, ut id ad poſteros transmittere poſſit; quod fit in regnis ſucceſſivis.

IV.

Electio non obſtat, quo minus electi Reges etiam ſummum habeant imperium.

V.

In regnis electivis res ſæpe ad interregnum pervenit. In quo ad imperfectam formam redit civitas: democratiæ tamen temporariæ indolem præ ſe ferre videtur; niſi de alia regiminis forma in hunc caſum antecedenter proſpectum ſit.

VI.

Succeſſio in regnis patrimonialibus dependet a voluntate Regis expreſſa vel tacita, in non patrimonialibus autem a voluntate populi.

VII.

Reges, qui regnum habent in patrimonio, ſuper ſucceſſione teſtamento poſſunt diſponere, idque pro lubitu in unum pluresve e ſuis, vel etiam in alienum transferre.

VIII.

Ubi voluntas ejusmodi expreſſa non extat, ſucceditur ab inteſtato, ut in privatorum hereditatibns : niſi quod ſpeciatim hic id quoque voluiſſe cenſendus eſt defunctus, quod regno & familiæ conducit.

IX.

In regnis non patrimonialibus voluntas populi, de modo ſuccedendi, vel per legem fundamentalem eſt expreſſa, vel ex conſuetudine colligitur, vel denique ad conjecturas confugiendum, quæ fundamentum habent in ſalute populi.

X.

Succeſſio autem a pcpulo introducta, vel approbata, eſt vel hereditaria ſimplex, vel linealis.

XI.

Hereditaria ſimplex cum privatorum hereditatibus in eo convenit, quod proximum gradum reſpicit, ob ſalutem vero regni, quam ſemper ob oculos cenſetur habuiſſe populus, differt, quod (1.) regnum maneat individuum, (2.) ſucceſſio ſtet intra deſcendentes primi acqui-

acquirentis (3.) ne ſuccedant niſi legitime nati, (4.) mares in pari gradu præferantur feminis, (5.) ſucceſſor populo, non anteceſſori, debeat acceptum referre imperium.

XII.

Succeſſio linealis, in qua ſecundum lineas, non ſecundum gradus ſucceditur, ad evitandas lites inexplicabiles introducta eſt, eaque vel Agnatica eſt, vel Cognatica: in illa ſoli mares ex maribus, in hac etiam feminæ admittuntur.

XIII.

Ubi controverſia oritur de ſucceſſione in regno patrimoniali, arbitris potius res erit committenda, quam ferro decernendum.

XIV.

In ceteris populus dijudicare debet, & per voluntatis ſuæ declarationem dubium tollere.

CAP. XI.
De
OFFICIO SUMMORUM IMPERANTIUM.

Th. I.

OFFicia ſummorum imperantium generalia ex indole & fine civitatum, ſpecialia ex fine & natura ſingulorum jurium majeſtatis deducuntur.

II.

Ante omnia *comparare ſibi debent imperantes peritiam prudentiamque regendi*, atque hinc (1.) ſeponenda ſtudia ad eum finem nihil facientia, (2.) fugiendæ voluptates immodicæ vanæque occupationes, (3.) converſandum cum bonis & prudentibus, non cum adulatoribus & nugatoribus, (4.) ad recte applicanda politices præcepta indoles & ſtatus populi ſubjecti cognoſcendus, (5.) virtutibus regiis moribusque decentibus ſtudendum.

III.

Pacto ſuo imperans generatim obligatur, *ut ſalutem civitatis pro ſumma lege habeat.*

IV.

Curabit ergo, ut cives bonis moribus imbuantur per leges & diſciplinam publicam: ad quam religionis & ſtudiorum cura pertinet.

V.

Leges autem feret perſpicuas & planas, nec pauciores juſto, nec plures.

VI.

Sed & executionem earum procurabit in civilibus, ut quivis jure ſuo promte & recte potiatur: in criminalibus, ut pœnæ infligantur delictis convenientes, ſine indulgentia intempeſtiva.

VII.

Accommodabit porro pœnas ad uſum civitatis, ut nec graviores juſto ſint, nec lucro delicti minores.

VIII.

Ad ſecuritatem internam conſervandam mutuas civium injurias prohibebit, tenuiores autem a potentiorum inſul-

ſultatione tutos præſtabit, privatamque interdicet vindictam.

IX.

Cum res a miniſtris & magiſtratibus geſtæ ipſi imperanti imputentur (1) viros probos & idoneos conſtituat, (2.) in eorum acta ſubinde inquirat, (3.) præmia pœnasque illis decernat, (4.) in judices corruptionibus obnoxios ſevere animadvertat, (5.) querelas civium ipſe audiat.

X.

Quod ad tributa attinet, (1.) non plura exigat, quam finis civitatis requirit, eaque juſta proportione deſcribat, (2.) collecta recte impendat, erogationesque ad reditus accommodet.

XI.

Ut vero apti ſint ſubditi ad conferenda tributa, & ipſi etiam commode vivant, curabit imperans, ut opes acquirant labore in agricultura, opificiis, commerciis adhibendo, conſervent parſimonia, non tam legibus ſumtuariis, quam exemplo, promovenda.

XII.

Ad unionem civium conſervandam

(1.) factiones prohibebit, (2.) cavebit, ne quisquam alius majorem, quam ipſe, in civitate habeat auctoritatem.

XIII.

Ad ſecuritatem externam (1.) paratum habebit militem, (2.) neminem temere laceſſet, (3.) conſilia vicinorum explorabit, (4.) fœdera prudenter contrahet.

CAP. XII.

De
LEGIBUS CIVILIBUS IN SPECIE.

Th. I.

LEges Civiles ſunt decreta ſummi imperantis civilis, per quæ civibus injungitur, quid in vita civili facere, quidve omittere debeant.

II.

Dicuntur Leges civiles vel reſpectu auctoritatis, vel reſpectu originis: illarum

rum objectum ſunt actus lege naturæ jam præcepti vel prohibiti, harum vero actus indifferentes.

III.

Legibus naturalibus vim & auctoritatem legum civilium tribuit ſummum imperium, ut eo melius illæ obſerventur, & ſua civitati per eas conſtet tranquillitas.

IV.

Conſiſtit autem vis illa & auctoritas ab imperio civili addita in pœnarum determinatione, actionis conceſſione, circumſtantiarum deſignatione, & obſcurorum explicatione.

V.

In actibus indifferentibus lex civilis vel certam præſcribit agendi formam, vel agendi libertatem reſtringit.

VI.

In conſcientia quoque obligant leges civiles, quatenus juri divino non repugnat earum executio. Nam ipſa lex naturalis dictitat, legitime imperantibus eſſe parendum.

VII.

Nec minus obligant peculiaria ſummo-

morum imperantium juſſa, ſed ſub eadem conditione.

VIII.

Ubi ergo imperans aliquid jubet, legibus divinis manifeſto & per ſe adverſum, conſcientiæ non conſulitur per diſtinctionem inter actionem propriam & executionem actionis alienæ. Omnis enim actio, quam quis ſciens volensque ſuſcepit, recte imputatur ut propria.

IX.

Hinc ubi talis actionis executio præcipitur, recte denegatur obſequium, quippe quod ſine crimine præſtari nequit.

X.

Non minus ergo peccat, qui in bello aperte injuſto militat, quam qui juſſu imperantis innocentem damnat, falſum teſtimonium dicit, aut calumniam alicui intentat.

CAP.

CAP. XIII.

De

JURE VITÆ AC NECIS, NEC NON DE POENIS.

Th. I.

SUmmus imperans jus vitæ & necis in cives habet, idque vel indire-ͨte ad defenſionem civitatis, vel direͨte ad punienda deliͨta.

II.

Poteſt igitur ſummus imperans cives ad militiam compellere, & præparare, eorumque vitam pro ſalute civitatis periculo exponere, non tamen direͨte perdere.

III.

Unde ſubditus nec ad militiam ineptum ſe reddere, nec militatum ire juſſus mandatum detreͨtare, nec aſſignatam ſibi ſtationem, quamvis periculoſam, deſerere debet, niſi conſtet imperantis

voluntatem eſſe, ut vitam potius, quam locum conſervet.

IV.

Pœnam infligere ob delicta non licitum modo, ſed & præceptum eſt, tanquam ad finem Reipublicæ abſolute neceſſarium. Licitum quoque eſt capitales infligere pœnas.

V.

Eſt autem pœna malum moleſtum, quod pro imperio alicui ob antegreſſum delictum imponitur.

VI.

Puniendi facultatem nemo habet, niſi ſuperior. Unde in ſtatu naturali viventes ſolus DEUS punire poteſt, in ſtatu civili jus hoc imperantibus tribuit ipſa ſalus civitatis.

VII.

Finis pœnarum in genere alius eſt internus, alius externus. Ille, qui & expiatorius & compenſatorius dicitur, conſiſtit in ſatisfactione juſtitiæ debita, quam pœna divina præcipue reſpicit.

VIII.

Finis externus, ad quem pœnæ humanæ maximè tendunt, eſt vel principalis,

palis, ſecuritas & tranquillitas Reipublicæ: vel huic ſubordinatus, qui conſiſtit in utilitate lædentis, ut emendetur per dolorem ex pœna; in utilitate læſi, ut poſthac tutus ſit, ſi vel tollatur aut viribus nocendi privetur lædens, vel alii hujus exemplo abſterreantur; denique in utilitate aliorum quorumlibet, ut ne ſimilia faciant, aut patiantur ab hoc, vel aliis.

IX.

In foro igitur humano non omnes actus vitioſos puniri convenit. Eximuntur enim (1.) actus mere interni. (2.) minutiſſimi lapſus, quos per imbecillitatem humanam vix quisquam effugere poteſt. (3.) vitia animi ex communi mortalium corruptione reſultantia.

X.

Sæpe etiam diſſimulari oportet vitia (1.) ob tranquillitatem Reip. (2.) ut ſplendidior ſit actus, absque metu pœnæ ſuſceptus. (3.) ubi operæ pretium non eſt (4.) ubi res eſt obſcura (5.) ubi vitia ſunt inolita.

XI.

Aliquando & graves ob cauſas veniam delinquentibus dare poteſt imperans, pœnasque remittere aut mitigare, ubi Reipublicæ ſalus id vel ſuadet, vel permittit, nec pœna legibus divinis univerſalibus eſt determinata.

XII.

Accommodandæ ſunt pœnæ delictorum gravitati. Gravitas autem delictorum æſtimatur ex objecto, effectu & pravitate intentionis, quæ ex cauſis impellentibus & abſterrentibus aliisque circumſtantiis colligitur.

XIII.

Pœnas determinare ſummi imperantis eſt, qui hic ad utilitatem Reipublicæ reſpicere debet. Hæc autem ſæpe exigit, ut delictis inæqualibus æquales pœnæ, & in ſe leviori, ſed Reipubl. valde noxio, gravior pœna conſtituatur.

XIV.

Tantæ debent eſſe pœnæ, quantæ ad libidinem peccandi reprimendam ſufficiunt.

XV.

Exigendæ regulariter ſunt pœnæ legibus

gibus conſtitutæ: interdum tamen ob circumſtantias aggravantes, per modum privilegii, uti vocant, odioſi, exaſperari poſſunt.

XVI.

Qui idem delictum commiſerunt, ſi cetera ſint paria, eadem etiam pœna afficiendi ſunt.

XVII.

Quanquam autem juſtitia ſine reſpectu perſonarnm ſit exercenda, in applicatione tamen pœnarum, & æſtimanda earum quantitate, reſpiciendæ ſunt perſonarum puniendarum qualitates. Nam ſimplex æqualitas ſummam efficeret inæqualitatem.

XVIII.

Ob delictum univerſitatis non poſſunt puniri, niſi qui in id conſenſerunt. Ex occaſione tamen punitæ univerſitatis etiam innocentes incommodum ſentiunt.

XIX.

Expirant ergo delicta univerſitatum cum perſonis, quæ deliquerunt.

XX.

Non poteſt in foro humano alius pro

alio puniri, ſed alienum delictum occaſionem præbere poteſt, ut quis vel ſine culpa damnum ſentiat, vel ob proprium delictum rigidius puniatur, aut veniam non conſequatur.

CAP. XIV.

De EXISTIMATIONE.

Th. I.

COmpetit etiam imperanti jus aliquod circa exiſtimationem civium augendam vel minuendam. Qua occaſione hic de exiſtimatione generatim agitur.

II.

Exiſtimatio eſt valor perſonarum in vita communi, ſecundum quem aptæ ſunt aliis perſonis exæquari vel comparari, eisque vel antehaberi aut poſtponi.

III.

Dividitur in Simplicem & Intenſivam. Utraque vel in ſtatu naturali, vel civili conſideratur.

IV.

IV.

Exiſtimatio ſimplex naturalis eſt valor ex probitate communi, ſeu legum naturalium qualicunque obſervantia, ortus.

V.

Integram ergo exiſtimationem habent, qui enormibus delictis legem naturæ malitioſe non violarunt. Eaque in omnibus præſumitur, donec probetur contrarium.

VI.

De hac igitur exiſtimatione, non de præſtanti virtute intelligendum eſt axioma: Quemlibet præſumendum eſſe bonum.

VII.

Diminuitur autem exiſtimatio hæc ſimplex per delicta contra jus naturæ enormia dolo malo commiſſa.

VIII.

Conſumitur penitus per ejusmodi vitæ genus, quod ad legum naturalium violationem, e. g. ad alios promiſcue lædendos per ſe ſpectat.

IX.

Utraque tamen infamia, & minor illa, & major hæc, deleri bonaque fama recupe-

cuperari poteſt, mutato vitæ genere, reſtitutione damni data, deprecatione injuriæ, & aliis ſignis ſeriæ pœnitentiæ.

X.

Exiſtimatio ſimplex in ſtatu civili eſt valor civium juxta leges & mores civitatis.

XI.

Integra manet, quamdiu quis pro vitioſo civitatis membro non fuit declaratus, & aliquo honeſtorum civium numero eſſe intelligitur.

XII.

Diminuitur, pro diverſitate inſtitutorum cujusque Reip. vel per ſtatus turpes, aut opinionem turpitudinis habentes, vel per natalium infelicitatem, vel per delicta in Rep. utcunque tolerata.

XIII.

Plane deficit per delicta infamia notata: ſive quis ſimul morte plectatur, ſive ex civitate ejiciatur, ſive in ea, tanquam infame tamen & putridum membrum, retineatur.

XIV.

Summus imperans civi exiſtimationem

nem ſimplicem pro mero arbitrio adimere nequit : deficientem vero reſtituere poteſt quoad effectus civiles.

XV.

Vera infamia contrahi poteſt, dum quis juſſa civitatis, vel imperantis, improba ac ſceleſta, per modum nudi miniſtri, exequitur.

XVI.

Exiſtimatio intenſiva eſt, qua unus alteri, ob majorem præſtantiam, præfertur.

XVII.

Hæc itidem vel naturalis eſt, vel civilis.

XVIII.

Fundamentum illius eſt præſtantia virtutis, unde laus, honor, gloria. Ceteræ cauſæ fruſtra allegantur.

XIX.

Hæc ipſa tamen vera exiſtimationis intenſivæ cauſa imperfectum modo jus producit.

XX.

Jus enim perfectum circa exiſtimationem nonniſi ex pacto, vel imperio, vel diſpoſitione legis oritur.

XXI.

Inter honoris ſigna eſt præcedentia. Pro hac, cum varia inter principes populosque in ſtatu naturali conſtitutos allegari ſoleant: jus tamen perfectum ſolo pacto producitur, vel expreſſo, vel tacito.

XXII.

Merito autem honorem tribuunt potentioribus, qui illorum beneficiis indigent; & prudenter ceditur iis, qui potentiam nocendi habent.

XXIII.

Cum inter cives gradus dignitatis deſignare ſummi imperantis ſit, quem locum cuique aſſignaverit ille, eo & hic & alii acquieſcere debent.

CAP. XV.

De

POTESTATE SUMMI IMPERII IN BONA CIVITATE CONTENTA.

Th. I.

HAbet ſummus imperans, qua talis, jus aliquod in bona civium privata, & civitatis publica.

II.

Contingere quidem poteſt, ut bona in civitate contenta etiam vulgari dominio ad imperantem pertineant: quo caſu in arbitrio hujus eſt, quid juris in ea concedere velit civibus. Id jus vero non ex imperio fluit, ſed ex peculiari cauſa provenit.

III.

Ex ipſo autem imperio triplex jus oritur in bona privatorum. Primum in præ-

præſcribendis legibus, ſecundum in exigendis tributis, tertium in dominio eminenti conſiſtit.

IV.

Præſcribere imperans leges poteſt circa uſum bonorum ad utilitatem Reipublicæ attemperandum, circa modum & qualitatem poſſeſſionum, circa rationem transferendi dominia.

V.

Tributa imperans poteſt imponere, ut & vectigalia, quia ſalus Reipublicæ ſine ſumtibus conſervari nequit, & quia juſtum eſt, ut, qui commodis frui vult, etiam onera ferat. Quantitatem neceſſitas atque æquitas, modum prudentia determinare debet.

VI.

Vi dominii eminentis imperans, urgente Reipublic. neceſſitate, de bonis ſubditorum diſponere, eademque in uſus publicos adhibere poteſt.

VII.

Damnum tamen, vel de publico, vel collatione aliorum civium, quantum poteſt, reſarciri debet.

VIII.

VIII.

Qui dominium eminens negarunt, de voce potius, quam de re ipſa, controverſiam moviſſe videntur.

IX.

Bona publica civitatis vel ad fiſcum pertinent, vel ad ærarium. Illa ſuſtentationi imperantis, hæc neceſſitatibus Reip. deſtinata ſunt. Ex illis imperans habet uſumfructum, & de proventibus pro lubitu poteſt diſponere: circa hæc habet adminiſtrationem. Neutra, multo minus regnum ipſum, aut partem ejus, ſine conſenſu populi, niſi regnum ſit patrimoniale, alienare poteſt.

X.

Sed nec pars a civitate invita ſe poteſt ſeparare, niſi vi hoſtium eo adacta, ut aliter ſalva eſſe nequeat.

CAP. XVI.
De
BELLO & PACE.

Th. I.

BEllum eſt ſtatus gentium per vim certantium.

II.

Licitum quandoque eſt bellum, imo & neceſſarium, ubi aliter nos noſtraque conſervare, aut jus noſtrum conſequi non poſſumus.

III.

Sapiens tamen omnia prius, quam armis experitur, etiam ubi juſtam habet cauſam.

IV.

Modi autem ſine bello componendi controverſias ſunt colloquium, compromiſſum ad arbitros, & ſors. Quos tentare cumprimis petens debet.

V.

Juſta belli cauſa eſt injuria, vel inferenda, vel illata, debito denegato, aut damno

damno dato. Unde aliud eſt bellum defenſivum, quod ad repellendam injuriam imminentem, aliud offenſivum, quod ad reparationem injuriæ illatæ geritur. Bellum pœnale non admittimus.

VI.

Injuſtæ cauſæ aliæ ſunt aperte tales, aliæ colorem quendam juſtitiæ præ ſe ferunt.

VII.

Cauſæ aperte injuſtæ ſunt ambitio & avaritia, quibus addi etiam debet voluptas. Quæ etſi raro publica confesſione evulgantur, plerorumque tamen bellorum cauſæ ſuaſoriæ ſunt.

VIII.

Pro cauſis juſtis perperam habentur metus alienæ potentiæ, utilitas jure deſtituta, denegatio eorum, quæ imperfecta obligatione debentur, ſtudium ſe in libertatem vindicandi, & ſimilia.

IX.

Quod ad modum belli gerendi attinet, non modo vis & terror in eo, ſed & doli atque ſtratagemata licita ſunt; modo perfidia careant.

X.

Sunt enim & adverſus hoſtes jura quædam in bello obſervanda: nec plus in cæde ac vaſtatione licet, quam ad finem belli eſt neceſſarium.

XI.

Dividi ſolet bellum in ſolenne & minus ſolenne. Illud eſt, quod à ſummis utrinque imperantibus prævia indictione geritur: hoc, in quo alterutrum deficit.

XII.

Indictionem belli offenſivi ipſa lex naturæ, ceu ultimum evitandi belli remedium, præcipit.

XIII.

Jus belli gerendi non niſi imperantibus competit: nec magiſtratus inferior, ex ſolo conſenſu ejus præſumto, id exercere poteſt; niſi defenſionem poſtulet ſubita neceſſitas.

XIV.

Per patientiam & receptum civitas vel imperans efficit, ut ob injurias, a ſubditis aliisque illatas, bello peti poſſit.

XV.

Nec peculiari pacto videtur opus eſſe, ut, qui pœnæ ob atrocia & manifeſta delicta evitandæ cauſa ad aliam gentem ſe conferunt, ne recipiantur ac protegantur: quanquam eam ob cauſam bellum ſuſcipere vix operæ pretium fuerit.

XVI.

Bello perfecto nondum opus eſt, ubi reparatio injuriæ haberi poteſt per Repreſſalias, quibus ob debitum civitatis, aut denegatam juſtitiam, cives aut bona civium illius Reip. capiuntur ac detinentur, donec læſo ſatisfiat.

XVII.

Repreſſaliis uti non niſi ſummis imperantibus, vel cum eorum conſenſu, licet: cum ſint ſpecies belli, & plerumque perfecti belli præludia.

XVIII.

Bellum imperantes non pro ſe modo recte gerunt, ſed & pro ſubditis, federatis, amicis, & quibusvis injuſte oppreſſis, auxilium illorum implorantibus.

XIX.

Cædibus, vaſtatione & occupatione rerum, ultra, quam finis belli requirit, graſſari, etſi juri naturæ ſit adverſum, moribus tamen gentium ſæpe pro illicito aut infami non habetur: e contrario veneno uti adverſus hoſtem, & percuſſores ei immittere, recepta gentium conſuetudine nefas cenſetur, quod tamen jure naturæ prohibitum eſſe demonſtrari vix poteſt, niſi percuſſores ad perfidiam incitentur.

XX.

Effectus belli eſt acquiſitio rerum hoſtilium, quæ intuitu tertii ſtatim ubi verè occupatæ ſunt acquiruntur: firma autem poſſeſſio adverſus hoſtem non contingit, niſi is per ſubſequens pactum juri ſuo renunciaverit.

XXI.

Quæ hoſti eripiunt milites, naturaliter, non ſibi, ſed illi acquirunt, cujus autoritate bellum geritur: ex indulgentia autem & conſenſu imperantium res mobiles, minoris præcipue momenti, militibus relinqui ſolent.

XXII.

XXII.

Res ab hoſte recuperatæ ad priſtinos dominos redire debent; quod jus poſtliminii vocatur. Id tamen jure conſtituto, & moribus receptis, ad ſolas fere res immobiles reſtringitur, mobiles in præda ſunt.

XXIII.

Alter belli effectus eſt acquiſitio imperii, ad quam tamen requiritur deviſtorum conſenſus.

XXIV.

Suſpenditur bellum per inducias, quæ ſunt ſtatus belligerantium, quo, manente bello, bellicis actibus ad tempus ex conventione abſtinendum eſt.

XXV.

Sunt induciæ vel longiores, in quibus diſſolvitur apparatus bellicus, vel breviores, in quibus idem manet. Illas nonniſi ſummi imperantes, has & inferiores poteſtates facere poſſunt.

XXVI.

Tollitur bellum per pacem, quæ eſt ſtatus gentium ſocialiter hactenus viventium, ut a mutuis læſionibus abſtineant.

XXVII.

Pacem facere non niſi ſummi imperantes poſſunt.

XXVIII.

Conditiones pacis fideliter explere ipſa quidem lex naturæ jubet: majoris tamen ſecuritatis cauſa jurejurando, interdum & obſidibus, pignoribus, vel ſponſoribus ea confirmari ſolet.

CAP. XVII.

De

FEDERIBUS.

Th. I.

FEdera ſunt pacta inter ſummos utrinque imperantes inita.

II.

Ea vel juri naturæ nil addunt, vel ex obligatione imperfecta perfectam reddunt; vel novam plane obligationem producunt.

III.

Primi generis federa nec ſuperflua ſunt, nec in DEUM injuria.

IV.

Poſteriorum generum federa ſunt vel æqualia, vel inæqualia.

V.

Æqualia ſunt, in quibus æqualia utrinque præſtantur æquali modo.

VI.

Inæqualia ſunt, ubi vel inæqualia onera tantum præſtanda ſunt, vel altera pars ſit deterioris conditionis.

VII.

Deterior vero illa conditio vel conjuncta eſt cum ſummi imperii diminutione, vel illud relinquit integrum.

VIII.

Onera tranſitoria ſummum imperium non diminuunt: neque perpetua id ſemper efficiunt.

IX.

Porro federa vel in genere perpetuam ſecuritatem intendunt, unde ſyſtemata civitatum oriuntur; vel peculiarem quandam utilitatem ſpectant, qualia ſunt bellica defenſiva vel offenſiva, & quæ commerciorum cauſa ineuntur.

X.

Licet federa inire cum omnibus, quorum commoda promovere, & a quibus commodum aliquod percipere licet. Hinc nec diverſæ religionis populi, nec qui a religione Chriſtiana alieni ſunt excluduntur, modo ipſa religio inde detrimentum non capiat.

XI.

Dividuntur denique federa in realia & perſonalia; quorum illa nomine Reip. hæc nomine imperantis ineuntur: illa mortuo rege perdurant, hæc cum perſona imperantis expirant.

XII.

Cognatæ federibus ſunt Sponſiones, quæ ſunt pacta a miniſtris circa negotia

tia publica ſine ſummæ poteſtatis mandato inita.

XIII.

Iis ſummus imperans non tenetur, niſi poſtquam vel verbis, vel factis, rata habuerit: rata autem habere cenſetur, qui commodum ex iis percipit.

XIV.

Sponſores obligantur ad operam dandam, ut permoveant Rempublicam ad approbandam ſponſionem. Ad damni autem reparationem tenentur, qui vel in iſthoc officio negligentes ſunt aut plane contrarium faciunt, vel poteſtatem paciſcendi doloſe præ ſe ferunt.

CAP.

CAP. XVIII.

De

OFFICIIS CIVIUM.

Th. I.

OFficia civium vel generalia ſunt, quæ ex communi civium ſtatu fluunt, vel ſpecialia, quæ ex ſpeciali cujusque munere in Rep. oriuntur.

II.

Generalia vel imperantem, vel civitatem, vel concives reſpiciunt.

III.

Imperanti debent ſubditi *reverentiam, fidelitatem, & obedientiam.*

VI.

Officia erga civitatem ſunt : *Ut ſalutem ejus omnibus aliis reſpectibus præferant: vitam & opes ad eam ſervandam offerant: & commoda ejus omnibus viribus promoveant.*

V. Cum

V.

Cum concivibus *pacifice & amice vivant.*

VI.

Officiorum ſpecialium ſumma hæc eſt : *Ne quis ullum in Republ. munus affectet aut ſuſcipiat, ad quod ineptum ſe deprehendit, & ut in ſuſcepto munere fidem & induſtriam adhibeat.*

VII.

Conſiliariorum ſpeciatim eſt : (1.) ad omnes Reipubl. partes attendere; (2.) ſententiam dextre, fideliter & citra affectus dicere; (3.) in omnibus conſiliis ſalutem Reip. pro ſcopo habere; (4.) pravis principum affectibus non velificari; (5.) factionibus abſtinere; (6.) non diſſimulare dicenda, nec efferre tacenda; (7.) corruptionibus non patere; (8.) publica negotia privatis & occupationibus & voluptatibus præferre.

VIII.

Miniſtri Eccleſiæ (1.) gravitatem & attentionem in munere ſuo adhibeant;

(2.) veritatem doceant; (3.) exemplo doctrinam confirment.

IX.

Doctores Scholaſtici & Academici (1.) falſa, pernicioſa, turbulenta, inutilia dogmata ne proponant; (2.) vera ſolidis rationibus demonſtrent.

X.

Judicum officia ſunt: (1.) facilem quibusvis acceſſum præbere; (2.) plebem contra potentiores protegere; (3.) ſine reſpectu perſonarum jus dicere; (4.) lites non protrahere; (5.) a corruptelis abſtinere; (6.) diligentiam in cognoſcendis cauſis adhibere; (7.) affectus ſeponere; (8.) recte faciendo neminem timere.

XI.

Ducibus bellicis incumbit (1.) militem diligenter & tempeſtive in armis & labore exercere; (2.) diſciplinam militarem conſervare; (3.) milites non neceſſariis periculis non exponere; (4.) annonam & ſtipendia diligenter ac fideliter curare; (5.) exercitum Reipubli-

cæ

cæ faventem ac fidelem reddere & conſervare.

XII.

Militum eſt (1.) ſtipendiis acquieſcere & injuriis abſtinere; (2.) labores pro Rep. libenter & ſtrenue obire; (3.) in periculis nec temere nec timide agere; (4.) fortitudinem in hoſtes, non in commilitones, oſtentare; (5.) ſtationem demandatam maſcule defendere; (6.) honeſtam mortem turpi vitæ præferre.

XIII.

Legati ſint (1.) cauti & circumſpecti in diſcernendis veris & falſis; (2.) taciturni; (3.) adverſus corruptiones obſtinati.

XIV.

Quæſtores (1.) acerbe ne exigant tributa; (2.) nihil oneris adjiciant; (3.) publici nihil intervertant; (4.) debita citra moras ſolvant.

XV.

Specialia hæc officia durant, quamdiu munus geritur: generalia quamdiu quis civis eſt.

XVI.

Deſinit autem aliquis civis eſſe, ubi vel cum conſenſu civitatis ſponte diſcedit, vel civitate ob delictum ejicitur & jure civitatis privatur, vel in hoſtis ditionem concedere adigitur.

XVII.

Non licet civi a civitate diſcedere ſine expreſſo imperantis conſenſu, niſi pacta & privilegia id concedant, vel per conſuetudinem id conceſſum eſſe conſtet.

ANT 1317ePY

8331

Digitized by Google